Philosophia

Klein Reinholdi et Alt.

Conclusiones ex universa Aristotelis Philosophia.

1664.

(Brunsbergae).

CONCLVSI-
ONES

Ex universa Aristote-
lis Philosophia

In Auditorio Collegii Brunsbergensis
Soc. JESV

Disputationi publicæ
Propositæ

A

REINHOLDO & ALBERTO KLEIN FF.

Anno 1666.

Mense   Die,

E

53238
I

SELECTÆ CONCLVSIONES

Ex Vniversa Aristotelis Logica, Ex Procemialibus.

1. An quis Logicâ studere possit, ideò ut diu vivat.

OBjectum est, id, circa quod aliqua potentia versatur. *Materiale* quod attingitur propter aliud, sive re, sive ratione distinctum, *Formale*, propter quod aliquid aliud. Quævis res indifferens est ex se, ut in Materiale vel formale evadat, quia potest tam propter seipsam, quàm propter aliud à potentia attingi: ut verò actu alterutrum constituatur, debet actus cognitionis aut appetitûs intercedere, qui hanc denominationem tribuat: idcircò denominatio objecti materialis aut formalis in actu primo proximo includit cognitionem vel amorem possibilem, quia denominatio actualis, involuit actualem: si itaq; implicaret amor aut cognitio, non posset res proximè constitui objectum materiale vel formale. Objectum formale *Quo* est aliqua ratio seu formalitas in objecto inventa, ratione cujus, seu sub qua, objectum cognoscitur, vel amatur. Nam singulis rebus insunt quædam aptitudines radicales seu non repugnantiæ, ut attingātur sub certâ ratione: non habent verò singulæ rerum, ut sub quâcunq; ratione formali in illas feramur; neq; enim lapidem considerare possumus sub ratione sanabilis. Logica itaq; cùm possit conferre ad vitam longam, potest sub ea ratione appeti. *R*ationabiliter enim studia ad longam vitam conferrre asseruit Cardanus, & longævitas Doctorum id confirmat. Nam Plato 84. Arist. 70. Democritus 109. Pythagoras 84. & ex Christianis, Augustinus 76. Albertus Magnus 82. annos vixerunt & ùniversim Angelicus Doctor in epist ad Philem. dixit: *Rarò utilis Doctor invenitur in Ecclesia, quin sit longævus.*

2. An quovis ſpeculo Logicus uti poſſit?

OBjectum Formale ſubdividitur in Attributionis & Attributum: Attributionis eſt, ad cujus exactam ſcientiam omnia alia, quæ in ſcientia tractantur, referuntur. Attributum eſt id omne, quod ordinatur ad perfectè cognoſcendum Attributionis objectum. Quod quidem non eſt opus, ut ſit præſtantiſſimum in ſcientiâ: relatio verò attributorum ad objectum attributionis non eſt adæquatè extrinſeca: includunt enim quandam utilitatem ad cognoſcendum perfectius objectum attributionis: & ſicuti Architectus ad domûs fabricam non plumas, aërem, crepidam Jovis, ſed calcem, ligna, lapides adhibet: ita ſcientia ſola ea, quæ inferre poſſunt notitiam objecti illius pleniorem. Neq; enim hic ordo eſt per accidens, ſicuti militum in exercitu, aut domorum multitudo conſtituens civitatem. Neq; tamen adæquatè intrinſecum eſt attributis, quòd actu ſint attributa. Actus enim id addit ſupra naturalem utilitatem, & inter utilia diſcernit. Vtilia ſunt omnia ad cognoſcendum Deum; nec tamen actu ad illius cognitionem à ſcientiis attribuuntur. Alioqui jam in unicam omnes ſcientiæ confluerent. Et ſicut ipſa Regina ſcientiarum Theologia, licet inveniat & formicam & Angelum; & leonem & Hominem, poſſe in cognitionem ſummi DEI deducere, alia ex his dimittit, alia recipit: pari modo cæteræ ſcientiæ attributa, veluti ſpecula, è quorum intuitu ad ſui perfectam cognitionem perveniant. Ratio communis reſpectu ſuorum inferiorum non poteſt aſſumere munus objecti attributionis. Neque enim natura rerum ſinit ordinari ad partes totum ſed potius è contra partes ad totum. Vnum debet eſſe objectum attributionis, ſive unitate ſimplicitatis, qualiter eſt DEVS, qui eſt Theologiæ: ſive unitate compoſitionis, qualiter Phyſicæ, eſt hómo: ſive demum per aggregationem, ut Politicæ Reſpub. eſt objectum attributionis. Ex quo patet, quod attributa licet ſint inſtar cujuſdam ſpeculi, quia non quævis de facto utilia ad cognitionem objecti attributionis, & quæ à natura ſunt attributa, non etiam de facto ſint attributa omnia,

3. An det Logica aliquid, priuſquam ipſa habeat?

Dat

DAt ſcientiis naturam, diſtinctionem, priusquam de illa ipſa ſtatuatur. Scientia non petit ex conceptu ſuo, ut ſit diſcurſiva: nam invenitur in DEO ſine diſcurſu; neq; enim poteſt DEVS ex notis ad ignotiora progredi: ut verò apud Philoſophos in via eſt ſcientia, *Eſt cognitio certa & evidens deducta ex præmiſſis* certis *& evidentib9*. Tales cognitiones in comperto eſt dari, ut immeritò Arceſilaus & Ariſtomachus, Anaxagoras, Zeno &c. negârint, ac naturam querelis onerârint, quod in puteo demerſerit veritatem. Suſpicatur hic S. Auguſtin. lib. 2. contra Acad. cap. 6. dolum fraudulentiſſimi Dœmonis, qui conatus orbi perſvadere, nullam haberi poſſe veritatem, ut ſic ad veritatem fidei per Chriſtum afferendæ inhabilem redderet, ac ſimul lumen naturæ obfuſcaret, vitiaque communia cum virtutibus faceret, cùm nihil certi eſſe uſpiam eviciſſet: idcirco, ut refert Ariſt. 4. Metaph. textu 9. utramq; contradictoriam veram ac utramque falſam concedebat Anaxagoras. Sed jam pridem vis conſilij expers mole corruit ſuâ. Plato ſolùm reminiſcentiam voluit eſſe, ut ſcilicet de tranſmigratione animarum ſumptam à Pythagora doctrinam ſtabiliret. Sed jam non uno fulmine, ſcilicet V. & VI. Synodi Conſtantinop. ſeſſ. 11. hæc vana aſſertio debellata, ac ſtylo Aug. lib. 1. retract, c. 4. & Hieron epiſt. ad Ruff. eſt confixa. Non eſt tamen unica: uti voluit Picus ſolam Metaphyſicam: Quia ut S. Th. ſuper Boët. de Trin. q. 5. a. 1. ad 6. docet, *Quælibet Scientia accipit partem Entis ſecundùm ſpecialem modum conſiderandi alium à modo, quo conſiderat Metaphyſica, unde ſubjectum illius non eſt pars ſubjecti Metaphyſicæ, ſed ipſa eſt ſpecialis Scientia alijs condiviſa*. Mathematica uno nomine dicit Scientiarum congeriem, inquit Theoph. Rayn in prol. Theol. Nat. n. 57. comparatione ſcilicet Phyſicæ, ſicut & Theologia comparatione ejuſdem Ariſtoteli dicitur Metaphyſica. Objectum Mathematicæ eſt Quantitas (ut circa ejus partitionem ſe potiùs exerceat Logica, quæ tam fideliter Curſum Philoſophiæ comitari ſolet) quæ, quia alia diſcreta, alia continua, & hæc permanens aut ſucceſſiva; ſtatim Quatuor Scientias conſtituit: ita, ut circa continuam permanentem Geometria, circa ſucceſſivam Aſtronomia, circa diſcretam ſine reſpectu ad aliud Arithmetica, cum reſpectu Muſica verſetur. Hæ Quatuor quaſi grandiora flumina in minores abeunt rivos. *Arithmetica* enim alia ſimplex, quæ de ſimplicibus; alia Compoſita, quæ de Compoſitis: alia Logiſtica,

eaq; vel *Popularis*, vel Aſtronomica, vel Canonica: alia Analogiſtica, quæ de progreſſionibus, proportionibus, Combinationibus: alia Figurata de polygonis, poteſtate: alia Geometrica de ſurdis, ineffabilibus, incommenſurabilibus. Ex Arithmetica & Geometria conſurgit Algebra, quæ vocatur ars magna, Coſſa, Analyſis. Geometria verò alia eſt Speculativa, alia Practica, quæ & Geodæſia. *Aſtronomia*, alia Obſervatrix, alia Syſtematica, alia Sphærica, alia Theorica Planetarum, alia Supputatrix ſeu Menologica, alia Gnomonica. *Muſica* deniq; alia Plana, Choralis, ſeu Gregoriana: alia Figurata idq; vel Vocalis, vel Inſtrumentalis. Sed nedum finis. Ex his Quatuor conſurgunt pœne innumeræ mixtæ, quæ ad tres claſſes revocari poſſunt ad ſtaticam, Opticam, Coſmographicam; *Statica* Geometricæ ſubalternata agit de pondere: ſed alia eſt Centrobaryca, quæ de Centro Gravitatis: alia Iſorropoſtatica de proportione ponderati: Mechanica de motione ponderum per machinas; Hydroſtatica de motione liquidi, Aëroſtatica, de aëris, Pyroſtatica de ignis motione, Polymetoſtatica&c. Ex his Mechanica, ſpecies habet Zygoſtaticam, quæ per libram; Mochloſtaticam per vectem: Trochleoſtaticam per trochleas. Onoſtaticam per ergatas, Sphenoſtaticam per Cuneum: Polymechanoſtaticam, quæ per machinas ex his compoſitas. Rurſus *hydroſtatica* ſubdividitur in *Bareocolymbiam*, quæ agit de ſupernatantibus humido, Bareodyſiam, quæ de his, quæ merguntur. Hydatholcia de ductu liquidorum. *Optica*, alia eſt perſpectiva, quæ lineas in planum projectas ſpeculatur. Catoptrica quæ de radio in ſpeculo viſibili: Catoptrocauſtica de radio urente: Dioptrica de tranſmiſſione radij: Diacoptrica hanc limitat ad ſpeculum. Perſpectiva etiam ipſa ſubdividitur in Orthographiam recti radij, Stereographiam, ſolidi contemplatricem; in Sceganographicam umbrarum, hujus ſunt partus Aſtrolabia & aliæ Machinæ cæleſtes. & hæc ipſa, vel eſt Catoptica radium deorſum, vel Anoptica ſurſum tendentem conſiderans. *Coſmographia* verò ſe dividit in Aſtrologiam & Uranoſcopiam: & illa quidem alia Thematica, alia judiciaria, alia Meteorologica, alia Genethliaca, alia Nautica, Graphica, Topographica &c. alias ſcientias, quia curſum Philoſophicum non concernunt, omittimus numerare.

4. An

4. An Faber manibus mutilatus sit bonus Artifex?

OMninò. Celeberrima est divisio scientiæ in *Practicam*, *Speculativam*, addimus & mixtam. Singulæ sunt veræ scientiæ, quia sunt cognitiones certæ & evidentes ex certis & evidentibus deductæ. *Ars* verò, est habitus dirigens ad aliquid faciendum, quod non spectat ad genus moris per præcepta non discussa scientificè, quantum est ex se. Jam verò quis habitum ejusmodi in Fabro mutilato posse inveniri neget? & ex hoc satisfit tituli quæsito. Ad actum practicum requiritur. 1. *Debet* ejus objectum esse factibile; ideo de existentibus ut talibus non est practicus. 2. Vt vi illius actûs sit factibile, ideo delectatio] de cognitione, species impressa, etsi actum sequantur connaturaliter, non reddunt practicum. 3. Vt ab eodem sit, factibile, cujus est actus, quia non vi & directione actûs fieret, 4. Vt non aliud sit factibile, sed ipsum actûs objectum, quia ad aliud non dirigit, unde si cognitionem sequatur amor, qui non fuit ejus objectum, illa cognitio non est practica: Ideò neq; cognitio DEI de peccato Petri est practica respectu peccati, licet dirigat DEVM ad vindictam. 5. Vt cognoscens ad objectum efficiendum habeat vires sive naturales, sive supernaturales: ideò prudentia supernaturalis est practica. Item cognitio Archimedis de movendo loco, globo terraqueo, quia ex se potens erat id facere, licet impediretur à defectu loci pro instrumentis locandis, quod est extrinsecum: è contra Angelus licet sciat, quomodo sit mundus creatus, quia caret viribus ad eum ponendum, non habet cognitionem practicam nec juvat, quòd sit ad hoc elevabilis, quia hoc est posse acquirere vires, non autem habere. 6. Praxis subiectum rationale requirit: propter quod brutorum ex hâc classe cognitiones excludim⁹.7.Vt objectû sive liberæ sive nō liberæ volūtati subsit, quia non apparet, quomodo aliàs cognitio in illud influeret. 8. Vt objectum vi cognitionis fiat; hinc etsi quis nutritionem suam cognoscat, quia tamen illa non vi cognitionis, sed naturaliter fit, (nam vegetativæ actiones non subsunt cognitioni nisi quoad applicationem) non est practica. 9. Si habitus practicus sit naturalis seu cognitio, etiam vires naturales ad illam exequendam requiruntur, etsi illis practicans careat, per accidens est. 10. Cognitio practica in communi & juxta speciem rem

repræſentat, quia nos ſolùm ad ſpeciem nos determinamus; DEVS, qui cognoſcit individuum, determinat ad illud. 11. Prius eſt ſcientia practica, quàm effectio operis, ſed non priùs quàm directio, in qua conſiſtit praxis: executio verò ſe per accidens habet ad praxim, & praxis ſcientia poteſt eſſe, non vero executio.

Poſſunt hæc inveniri in cognitione practica, ſed non requirũtur. 1. Effectio actualis, quia jam antecedenter eſt ſpecificata cognitio ab objecto. 2. Vt dicat modum faciendi operis, nam cognitio, quæ dicit amandum Petrum, eſt practica: neq; dicit modum amandi. 3. Nec eſt opus, ut ſit in ſubjecto libero: quia adhuc vi illius poteſt effectus ſequi: ſic Beati amant *DEVM*: ſic amor imperatus pro determinato inſtanti oritur ex practica cognitione quamvis neceſſariò. 4. Neque ut ſubjectum ejus ſit capax erroris, nam in *DEO* eſt practica ſcientia, quæ illum dirigit ad creandum, nec errare poteſt, idem eſt de prudentia Chriſti & Beatorum: dirigere enim ſolùm eſt voluntati cœcæ facem præferre, non autem illam quaſi manu ducere. 5. Neq; ut ſubjectum illius velit operari, quia non ab effectu ſpecificatur: ideoq; illi per accidens, quod fiat effectus, vel quod aſſequatur illius ideam. 6. Neq; ut objectum habeat ſingulare: nam licet effectio ad ſingularia terminetur, cognitio tamen indeterminatè vel hoc vel illud depingit, & poteſt præſcindere à differentiis, non ſicut effectio: patet id in præceptis, quæ non individuum attingunt: & ex hoc ſequitur: ſi cognitio conſervetur, etſi vi illius unum objectum factum ſit, poteſt alterum numero vi illius fieri: quia adhuc eſt repræſentativa objecti factibilis à ſuo ſubjecto: præſcindit autem ab exiſtentia objecti, reſpectu verò exiſtentis ut talis cogniti non erit practica: quia, etſi vi illius fieri poſſit, tamen à ſubjecto non eſt factibile. 7. Neq; neceſſe, ut diſtinctum opus ab actibus intellectûs habeat pro objecto, quia etiam hi poſſunt fieri vi directionis reflexæ, ut regulæ: ſicut patet in prudentia.

5. An licitum ſit Logico ſcire Grammaticam aut Phyſicam, quamdiu manet Logicus?

VOces ſunt inſtrumenta, quibus utimur, cùm Logicam diſcimus aut docemus, ſed illis non eget Logica. Grammatici enim

enim est formare sermonem, qui non solùm conceptum, sed & ordinem conceptuum exprimat: idcircò non sunt objectum Logicæ, neq; Logicus scit Grammaticam. Cùm agit de æquivocis, agit, sicut Theologia de discursu in DEO: nimirum assumpto aliunde, quærit an etiam in sua Materia inveniatur. Grammatici itaq; sunt actus. *Definitio vocalis constat genere & differentia Divisio vocalis. Propositio &c.* Sed neq; Physicam Logico scire licet. Haberet enim res pro objecto, quas non attingit ex suo fine Logica, neq; enim earum indolem exponit, neq; ingenium examinat: sed circa solas mentis nostræ actiones omnem consumit operam.

6. An possit aliquis utiliter actum agere?

POtest Logica, & agit utilissimè inducit ut ait S. Th. 1. post. formam rectitudinis in operationes, quæ non poterant esse nisi rectæ. Habet pro objecto simplicem apprehensionem. Quia illam dirigere potest. Habet secundam & tertiam: dat enim pro illarum rectitudine regulas scientificas. Pro formali verò earum, *rectitudinem passivam* dicit. Est verò propriè scientia practico speculativa; plurimum ad alias scientias utilis, etsi non absolutè necessaria: Meritò tamen aliis jactanter illud ingeminantibus.

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores;
Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.

Respondere potest Logicus, *Absit Aristoteles, ibit uterq; pedes.*

Sed quoniam diximus, quid sit & qualis sit Logica, Genealogiam ejus etiam breviter exequamur. Est Magistra Magistrorum antiquissima, eosdem natales cum mundo habuit, primum in *Paradiso* discipulum nacta ingeniosissimum Adamum, qui ubi legibus ejus obsequi noluit, ac leviter attendit ad consequentiam, quæ sequebatur ex propositione pomi ab Eva exhibiti, turpiter succubuit. Post Adamũ successione quâdã ac indefatigabili instruebat labore illius posteros Logica; & per *Patriarchas* primos usq; ad Noëmum, à Noëmo verò post diluvium, narrante S. Justino M. ad Armenos devenit ac Chaldæos, á quibus ad Aegyptios per Josephum & & Patrem ejus Iacobum deducta, ab Aegyptiis ad Persas & Babylonem: tum in Arabiam, ac tandem in Græciam deportata, ubi diutiùs morata ac itineribus ægra vitium contraxit. Sed tandem nacta industrios cultores, nitori per eos re-

 stituta,

ſtituta, & quidem quoad *Definitionem* in Academiâ Atheniensi à Socrate perpolita, quoad diviſionem à Platone, quoad Argumentationem & ſyllogiſmum, ab Ariſtotele; admovit & turpiſſimus Apoſtata Malchus Porphyrius manum feliciter circa annum Chriſti 280. & quinque prædicabilia nitori reſtituit, Prædicamenta verò Architas Tarentinus coordinavit.

7. An qui bene confundit, bene diſtinguit?

VEteri fertur parœmiâ, *Qui bene diſtinguit, bene docet:* ſi verò: qui bene confundit, bene diſtinguit: naſcetur novum axioma. Qui bene confundit bene docet. Sed naſcatur, veritatis & illud erit. Triplex eſt diſtinctio. *Realis*, quæ inter res eas intervenit, quæ nullo cogitante ſunt plures. Rationis, quando res una & ſimplex & à parte rei indiſtincta per intellectum à ſeipſa diſtinguitur. Dupliciter autem hoc evenit vel per rationem ratiocinatam, quæ rem ad diverſos effectus comparat: vel per ratiocinantem, quæ provenit ab actibus eandem rem & in ordine ad eoſdem effectus diverſè concipientibus. Adſcribitur Scoto multis volentibus, non paucioribus invitis, quædam media, ſeu ex Natura rei, ſeu realis Minor, per quam ut ait Pontius Scotiſta diſp. 20. Metaph: conceptus objectiui diſtinguuntur ante opus intellectûs, non tamen unus ab altero ſeparari poteſt, Sed talis diſtinctio implicare videtur. Omne enim, quod diſtinguitur vel eſt unum ante opus intellectûs non admittens duo contradictoria, vel ſunt duo, vel deniq; eſt unum admittens duo contradictoria: nulla vero ex his eſt diſtinctio *Minor*, ſed vel realis, vel rationis, vel virtualis; Diſtinctionem rationis alij claram circa gradus Metaphyſicos aſſumunt, ita ſcilicet ac ſi eſſent in Petro diſtincta realiter Animal & rationale, ut eodem actu unum ex his nullo modo attingatur: ſed non placet. Quia cognitio noſtra eſt forma quædam extrinſeca, Petrus vero eſt ſubjectum indiviſibile hujus formæ: itaq; circa idem ſubjectum ſcilicet Petrum, eſſet forma & negatio illius ſimul & ſemel inſuper animal Petri haberet propriam cognoſcibilitatem, quam non haberet rationale: itaq; contradictoria illis convenirent, & per hoc ut ex ſigno infallibili, diſtinctio realis. Melius diſtinguere nos arbitramur, ſi eundem Petrum ad connotata ſenſationum referamus confuſo actu, &

ideò

ideò dicamus esse animal; & eundem ad discursus, & vocemus rationale: hic modus distinguendi probatus jam olim ab Angelico Doctore 1. p. q. 85, a, 3, & à veteribus passim, ut meritò, qui hac confusione utitur, bene distinguere censeatur.

8. An possit dari homo, qui nec sit parvus, nec sit magnus, nec mediocris?

CVm possimus ab utroq; contradictorio præscindere, & rei tantùm prædicata considerare essentialia, possumus neque magnitudinem, neq; parvitatem rei attendere, neq; etiam mediocritatem. Et quàm felix homo apud Logicos, nec frigus metuit, nec æstu torretur, sine veste satis decorus, sine cibo non famet, sine potu non aret, loco absolvitur, tempore non indiget, nullâ passione perturbatur, nihil sperat, nihil metuit. Invidiâ potuisset tangi Stoicorum inclemens Sapientia, nisi perpetuâ obstinatione contra omnem humanitatis affectum se obarmavisset.

9. An omnibus hominibus simul recipiendis sufficiat una domus?

VAriè in unum omnes homines cogebant varij: Plato quidem in concavum Lunæ reducebat, ut ibi realiter ex omnibus unum, seu unum aptum inesse multis constitueret. Ibi ergo fingebat hominem ut sic, qui veste ut sic tegeretur, pane ut sic vesceretur, cogitationes ut sic haberet, motum ut sic formaret. Sed orarem, quonam tubo Optico usus illum hominem tam procul à se dissitum aspexerit? credo tubo ut sic: itaq; non affirmare etiam debuit certò, sed tantum dicere ut sic. Neque feliciùs distinguentes ex natura rei omnem hominem compegerint in unum; quia ille non est aptus inesse multis, sed uni ex multis. Nobis pro omni homine nimis vasta una domus, vastum conclave, vastus unus terræ pes Quadratus, sufficit acumen acûs, imò adhuc vastum est, sufficit locus indivisibilis: idem visum fuit S. Damasc. l. 1. de fide. c. 11. ubi dixit: *Naturam duorum singularium solâ cogitatione esse unam.* Nam universale, inquit Philosophus, *aut nihil est, aut est posterius,* intellectu scilicet. Fit itaq; Metaphysicum per cognitionem formaliter præscindentem, idq; actu confuso non disjunctivo, neq; copulativo, sed abstracti-

abstractivo. Logicum verò Vniversale insuper requirit actum comparativum reflexum, qui naturam per modum unius abstractivè cognitam comparet cum suis inferioribus. Sed in actuali prædicatione amittit suam Vniversalitatem, quam habebat in essendo.

10, An quod caret partibus, habeat partes?

In indivisibili sita est hominis essentia, tamen habet partes, scilicet Genus & differentiam, habet & proprietates Metaphysicas, quæ illi realiter identificantur. Hoc mirum est: *genus* constat genere & differentiâ, & simul est supra omnia genera, & horret instar mortis compositionem ex differentia, & tamen definiri potest. *Species* prædicabilis quâ talis constituit secundum Prædicabile: quæ si ita sterilis Mater esset, ut unicum solùm haberet individuum excideret è familia Prædicabilium. *Individuum* est, quod de uno solo prædicatur adeo nemo est ita vacuus Dominio, ut neminem habeat cui posset imperare. *Differentia* est id, quod cum genere constituit speciem, quæ compositio subtilior est quam Physica. *Proprium* prædicatur in concreto. *Accidens* verò de pluribus contingenter. Hæc divisio Vniversalis in quinq; Prædicabilia est Generis in species.

11, An sit facilè numerare, quot sint res in toto mundo?

Facillimum. Sunt enim Decem, imò duæ solùm, uti voluit Xenocrates; quid si unica solum? scilicet Ens: quemadmodum numeravit Plato, duæ autem Substantia & Accidens; sed tamen magnificentiùs de Vniverso volumus sentire, & decem cum Aristotele numeramus, quæ sunt, *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, Relatio, *Actio*, *Passio*, *Vbi*, *Quando*, *Situs*, *Habitus*. Pythagorici fortasse bis idem numerarunt, utpote apud quos iterum eædem res in existentium censum regrederentur. Nam confecerunt catalogum rerum viginti. Sed solùm decem summa maxima totius varietatis in mundo. Hic est numerus rerum, qui nostros fatigat sensus, qui tot imperia constituit, terram cœlosq; replet: en quam paucos natura constituit limites, quos tamen dum plenè assequi non possumus, cogitatione extendere sæpe laboramus; Inter hæc decem est unum, quod nec cogitare

cogitare possumus nisi duo simul cogitamus, scilicet, *Relati°s* & hæc est ratio formalis, quâ unum respicit aliud. Alia est realis. alia rationis. Realis neq; realiter neq; modaliter à suis Extremis distinguitur, quod ex professo Doctor de Aquino de relat. c. 2. demonstrat: Nobis sufficit, quod sit superfluum quidquid duobus terminis addideris: ablato enim illo, linea palmaris lineæ palmari erit æqualis & relata, & dato illo additamento, uno culice volitante totum mundum necesse est permisceri. Relatio non consistit in solo fundamento connotante terminum. Negamus etiam morbos esse meras relationes contra Christop. à Vega lib. 3. de arte Medica c. 1. qui curari utpotè sanam nolumus à Medicis nostram sententiam.

12. An, qui semel verum dixit, possit aliquando falsum dicere?

NUnquam ampliùs. Nam veritas est conformitas actûs cum objecto, qui actus nunquam potest ampliùs de vero transire in falsum. Imo actus fidei, quem habuit Simeon aut Zacharias, quo dicebat *Credo Christum nasciturum*, si conservatus fuisset nato Christo Domino nequaquam falsus fieri potuisset. Sed una veritas non est major alterâ, licet magis necessaria esse possit. Nihilominùs tamen sæpe contingit aliquos verum dicendo mentiri, & mentiendo verũ dicere. Qui autem semper vult verum dicere, utramque semper dicat contradictoriam.

13. An scibile sit, quo loco sit futurus aliquis post annum & quid acturus?

HOc mysterium non est assecutus Aristoteles: idcircò negavit propositiones de futuris contingentibus determinatam habere veritatem lib. de Interpr. 1. c. ult. difficile enim, imo impossibile illi fuit, indifferentiam hominis agendo cum infallibilitate futuritionis conjungere, in quas etiam sentes incidit Tullius & pleriq; Gentilium, de quibus Magnus Augustinus 5. de Civit. c. 5. dixit. Quòd, *cùm vellent homines facere liberos, fecerunt sacrilegos*, cùm enim determinatam Veritatem negarent, negabant & in DEO scientiam talium futurorum: idcircò quæsitus ex aliquo nostrũ Aristotelicus Deus *Quo ego ero loco post annum?*

num?

num? Respondisset, *nescio.* Successerunt Marcionistæ in errorem, uti illis exprobrat Hieron. lib. 3. contra Pelag. Successerunt & Manichæi, uti refert Moyses Barcephas lib. de Paradis. p. 3. object. 3. & Wicleffus amplexus. Marcionistam inducit sic argumentantem Strigoniensis Pater l. c. *Marcion & omnes, qui vetus laniant testamentum, hujusmodi Syllogismum texere consueverunt. Aut scivit DEVS hominem in paradiso prævaricaturum esse mandatum illius, aut nescivit. Si scivit non est in culpa is, qui præscientiam DEI vitare non potuit, sed ille qui condidit, ut DEI non posset scientiam devitare. Si nescivit, cui præscientiam tollis: etiam tolle divinitatem.* O egregium; o futile Sophisma; cui (missâ DEI scientiâ, quæ ad Theologos spectat, & in quo puncto satis fuerit illud Aug. lib. 4. de Genesi c. 32. memorâsse. *Cognitio practica, etsi præcedat objectum, tamen speculativa fieri non potest, nisi cognoscenda præcedant*; solâ spectatâ determinatione veritatis in ratione purâ fundata) oppono Ammonium: ille ita argumentatur. Multi prophetæ habuerunt notitiam futurorum, uti constat de Sybillis &c. determinata est itaq. eorum veritas. Oppono Plotinum, Enneade lib. 4. c. 12. Cujus hæc ratiocinatio: si DEVS nescit futura, quæ ipse facturus est, casu illa facit. Oppono Proclum in Alcibiade, qui ex conjecturali notitia futurorum, infert determinatam veritatem, Nam nostra futura libera ex suppositione consequenti necessariò eveniunt, nec quidquam ad illorum determinationem facit scientia DEI, uti pulcherrimè Præsul Hipponæ lib. 3. de lib. arbit. c. 4. *Sicut tu memoriâ tuâ non cogis facta esse, quæ præterierunt, ita nec DEVS præscientia suâ cogit facienda.* Imò 5. de civit. c. 10. infert: si scientia DEI redderet effectum necessarium, seipsam falsificaret, sciendo videlicet liberum, faceret necessarium. Optimâ similitudine hoc ipsum illustrat Damasc. lib. adversus Manichæos, sicut Medicus, dum prænoscit morbum, non affert causam morbo: ita neq; DEVS nostris actibus, & Cic. de Fato vocat ignavam rationem recurrere ad scientiam DEI, & non curare sanitatem, quia DEVS nos scit convalituros aut non convalituros è morbo. Quomodo verò DEVS nostra futura, & in quo medio videat, non est præsentis instituti. Inter spinas tamen Logicas instar rosæ licebit afferre dictum Angelici Doctoris dum Logica pertractat, de Interpret. lect. 14. *Sit longa processio hominum, quam tu de fenestra prope terram posita prospice, alios incipies, alios desines videre, sed alter, qui è sublimi prospicit turri totam simul processio-*

processionem conspiciet : *ita* DEVS, ut inquit Boët. 4. de Consol. prosâ 6. *Positus in altâ speculâ aeternitatis, stantia habet in conspectu suo transeuntia saeculorum volumina.*

14. An possit Logicus Enthymema formare?

NVllus. Discursus enim est: *Oratio, in qua unum ex alio infertur*: ad quod non sufficit, si una propositio disparatè sequatur alteram, vel si occasionaliter oriatur ex aliâ. In Mente verò Enthymema non datur, etsi detur in voce, sed hoc non est operis Logici. Syllogismus verò est *Oratio*: *in qua quibusdam positis, aliud quidpiam necessarió accidit, eò quòd haec sint.* Coubicatio praemissarum non intrat illius essentiam, neq; conduratio. Non sufficit tamen existentia trium propositionum cum praecisione à loco & tempore: sed necesse est, 1. ut sint tres actus. 2. ut sit unio praemissarum eundem intellectum illuminantium. 3 decretum DEI applicans omnipotentiam ad producendum tertium actum ex eo, quia videt, quòd praemissae illuminent eundem intellectum, & aliquam vel aliquas causas petentes, ut habeant pro posteriori actus illi condurationem. Vnde non sufficit ad Syllogismum, quod fuerit *Major* heri, hodie Minor, cras Conclusio; Major Varsaviae, Minor Vilnae, Conclusio Cracoviae; & haec quidem dicta de Syllogismo formali. Nam si unico constiterit actu Virtualis, ipse actus totam constituet essentiam. nulla enim erit tunc dependentia, propter quam distingui debet à tribus actibus essentia Syllogismi adaequatè sumpta. Sed neq; tali Syllogismo conveniet definitio Aristotelica.

15. An possit quis in loco consistendo discurrere?

POtest Logicus. *Demonstratio* enim illius, discursus est. Est enim *Syllogismus faciens scire.* Est duplex à priori sive *propter quid*, & à posteriori sive *Quia.* Demonstratio potissima debet constar praemissis primis, per se notis à priori, universalibus, necessariis necessitate Metaphysica, secundum quod ipsum. Eadem debet constare propriis & per se principiis: licet reliquis demonstrationibus sufficiant principia communia.

16. An

16. An quis idem possit scire & non scire?

SÆpe id evenit. Duo enim actus disparati possunt esse simul. potest scilicet in eodem intellectu componi actus scientiæ abstractivæ cum actu opinionis vel fidei humanæ quando diversa adhibentur motiva; imò ad actum fidei divinæ extenditur hæc combinatio. Potest enim Gentilis Philosophus evidenter cognoscere DEVM existere ex creaturis, & deinde prædicatione Evangelij auditâ divinâ fide existentiæ DEI assentiri. Sed de hoc ex proposito Theologi, nobis saltem argumenti vicem hæc suppositio implebit, quâ idem in humanis evenire probabimus, & sic de eodem objecto dabitur scientia & non scientia: scilicet actus scientiæ & opinionis, vel humanæ fidei.

17. An simul possit esse Meridies, crepusculum, & ortus Solis?

CRepusculum quoddam facit *fides humana*; nititur testimonio fallibili: *opinio* magis ad lucem accedit & veluti jam oriturum expectans solem clariùs objecta intuetur, colores discernit: interim tamen vanâ specie rerum potest deludi: sed *scientia* est instar meridiei, in quo clarè omnia distinguimus, rebus non dubius color restituitur. Hæc omnia simul in nostro intellectu subinde evenire experimur. Svadeat enim Orator nobis fugam alicujus vitij, iamq; alleget argumenta à ratione evidenti petita, jam probabilia, ac deniq; testimonia illustrium Philosophorum virorumq; gravium de illius vitij fugâ sentientium adducat; propter illas omnes rationes trium generum, unico actu assentiri poterimus. Illustrabit medium evidens, clarum, certum instar meridiei; dabit lucem tenuiorem ac adhuc umbris intertextam motivum faciens tantummodò probabilitatẽ dabit modicum aut perobscurum quid aliud motivum adhuc debilius?

Tanta est nobilitas nostri intellectus, ut ea possit capere, quæ totus orbis non potest.

SELECTÆ CONCLVSIONES

Ex libris Ariſtotelis de Phyſico Auditu.

De Principiis.

Sine interventu nihili fieri aliquid non poſſumus.

OMnia ex igne conſtitiſſe Heraclitꝰ cenſuit, ſed quomodo terra aut humor ex igne proceſſiſſet? Anaximenes aërem, quòd ſe ille cuivis formæ facile accommodet. ſed quis lapidem, plumbum, ferrum aëreum ſibi perſvadebit? Thales Mileſius. Orpheus, Homerus, Heſiodus, Oceanum dixerunt rerum Patrem, & aquam rerum principium: ſed ſequatur, cui piſcem eſſe placet. Anaxagoras panſpermiam adſtruebat, ſeu nihil interire & ſolùmmodo oculis ſubtrahi: quòd in minutiſſima dilabatur & tandem poſt tempus rurſus coägmentari & redire, ſic panem in nobis non verti in ſangvinem, ſed tantummodo particulas ſangvinis, quæ illi ſparſim inhærebant colligi. Democritus, duo aſſeruit Principia, Planum, id eſt Atomos, & eas ingenerabiles, incorruptibiles; ac Vacuum. Atomos volitare in vacuo & concreſcere fortuitò, jam in lapidem, jam in leonem, jam in truncum; & quis negaverit, quin & in Democritum? Pythagoræi numeros parem & Imparem. Symbolici homines Imparis nomine formam, Paris materiam intelligebant; ſimili circumlocutione, Seneca cum ſuis Stoicis per Agens & Patiens principia expreſſit. Sed omnibus rejectis, cum Ariſtotele ſtatuimus duo eſſe *in facto* Principia Materiam & formam. In *fieri* addendam privationem, quæ licet ſit nihil omninò, neceſſaria tamen, ut fiat aliquid. Principia verò Phyſica definimus, *quæ neq; ex ſeſe neq; ex alijs, ſed omnia ex ipſis fiunt.*

Nihil tam vile, cujus Fratres Germani non simus.

MAteria siquidem Divino Platoni Mater omnium, quæ existunt, rerum; Ægyptiis fex vitæ, seu vilissima Creaturarum DEI, alijs Proteus, quæ dum unam formam habet pro altera admittit dispositiones & ita subit.

Ignemq; horribilemq; feram, fluviumq; liquentem.

GEnuinam ejus indolem cum Aristotele in hunc modum describimus, *Est, quæ per seipsam, neq; quid, neq; quantum, neq; aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur.* Vel clariùs: *Est primum subjectum uniuscujusq;, ex quo fiat aliquid, cùm insit non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum.*

2. *Valesius* in sacra Philosophia vult eam an seipsum, (cùm non abnuit se illâ constare) Ens rationis. Nos contra, esse verum Ens reale. Neq; enim ex Ente ficto educi formæ, neque in ficto recipi possunt. Nihilo meliùs veterum errorem pro sapientia assumunt Galil. à Galil. Renatus de Cartes, Seb. Basson & non pauci Medicorum, qui ut Christiani, asserunt quidem à DEO creatā materiā sed illam esse meras Atomos, ex quibus variè dispositis veluti apud Typographum literis jam hæc, jam illa conjurgat naturæ oratio; & simul iidem formas omnes materiales negant.

3. Alii etiam melioris notæ Philosophi esse ipsa Elementa dixerunt, ideoq; mixta nihil, nisi particularum Elementarium congeriem. Negamus nos cum Philosopho actu inesse Elementa mixto, & 2. de part. c. 1. *Mixtum confici ex virtutibus Elementorum*, dicimus. Concedimus verò in poris mixtorum aliquid inveniri ex aqua, aëre, & aliis, sed non subesse formæ uni. Neq; Caminus Chymicorum unquam ex mixto illa excoxit. Fumum eduxit sed non aërem. Cineres, sed non terram: igni & aquæ nec simile aliquid. Imò asserimus, cùm aqua vino infusa spatio justo relinquitur in vinum, etsi reactione debilius, evadit. Neque enim unquam ullâ arte à vino tali potest sejungi aqua, quod suo Principi Libavio epist. ad Philip. Scherbium credere debea

bent Hermetici: educitur quidem, ait ille, aliquid, quod nec odore, nec sapore differt neque pondere ab aqua, sed illud est phlegma vini, quod è quovis purissimo extrahi potest mero.

4. Materia prima est ingenerabilis & incorruptibilis statim ab initio mundi creata, nullæ enim dispositiones illi contrariæ; nulla verò etiam substantia adversari potest. Venerantur omnia ut sustentaculum suum. Neque enim per formæ existentiam existit.

De Forma.

Natura cum nequeat omnes formosos facere, neminem sinit deformem.

I. FOrma est *actus ejus, quod est in potentia, & ratio ipsius, quâ quid erat esse & causa omnium ipsius esse.* Brevius sic. *Est actus substantialis Materia constituens cum ea compositum.* Dari illam certum, nam videmus aquam calefactam frigus repetere: aërem densatum rarescere, terram in exhalationes attenuatam rursus crassescere: est itaq; aliquid, quod accidentia præterita revocet & amissa reparet.

2. Nec placent Atomistæ Recentiores qui sola accidentia & figuram formæ nomine dignantur, & volunt uti lignum à navi, ita carnem à pisce distingui. Volunt cum Bassone lib. 2. art. 4. in Philos. Nat. Atomos esse heterogeneas, & naturas habere Elementorum, esse adeò minutas, ut nisi plurimæ in unam molem coëant sensum non afficiant, idq; non in se, sed in suis actionibus; ex his secundas, ex secundis tertias, & sic deinceps componi: hinc per tantam compositionis varietatem in infinitum possunt variari, & licet primæ sint immutabiles quoad essentiam, reliquas facilè posse in aliarum transire naturam, paucioribus aut pluribus mutatis, prout magis vel minùs, aliæ ab alijs recesserint. Et sic liquida esse corpora, quæ plurimum liquidarum habeant atomorum, fixa quæ terrearum, fusilia quibus terræ plùs quam aquæ: vaporem effici, dum particulæ aquæ subeuntibus igneis ab illis sursum provehuntur: ignem extingui, quando particulæ ejus ab aqua vel aëre condensantur: Res frigidas incalescere per immissionē partium ignearū & aquam bullire. Dum fit candelæ accensio, igniculos intus latentes per

 poros

poros prodire. Aërem efflatum strictis labiis, quòd comprimat internos igniculos, frigere: diductis verò labiis quòd laxet, pungentibus ipsis igniculis calidum sentiri. Sagittam cursu incalescere, quia per suam viam in plurimos igniculos illidit. Aquam ideo facilè mobilem, quia rotundis constat atomis, quasi globulis; alia fixa, quia quadratis, semen terræ ingestum proportionatas sibi attrahere atomos & ita augeri. Ægra sententia etsi tot Medicorum.

3. Neq; spiritum mundi loco Formarum admittimus, id est, Formam specie unam, materialem, in toto mundo diffusam; quæ instar animæ nostræ in diversis suppositis pro concursu accidentium varia operetur. Quæ itidem sub curâ Medicorum sententia, per quam tamen putant se evitare multiplicationem specierum, quam ex diversorum accidentium stabili congerie affirmare nolunt. Quàm diversa enim, inquiunt, accidentia in herba & sale ex illa chymicè educto. & tamen eadem substantia. Nam expertus Faber Medicus in suo Palladio Spagyrico, sale illo in terram defosso ejusdem speciei repullulare plantam. Alter, ubi lixivio facto ex cineribus urticarum salem earundem injecit, & conglaciari permisit, non solùm folia urticarum, sed & caudices, radices, quousque visus permeabat, conspexit. Diversa accidentia in cinere & herbâ, & tamen scribit, Quercetanus, conclusos cineres modo certo paratos in vitro, subditâ tantummodò flammâ candelæ statim effloruisse. Plumbum, stannum & alia metalla resoluta in cineres redeunt ad eundem statum retento eodem, quod priùs habuerunt, pondere & mensurâ. Plumbum Mercurio injectum liquatur in Mercurium, & tamen corio cervi per expressionem separari potest. Mercurius resolvitur in fumum, fumus in Mercurium. Ferratius lib. de cultura hortorum, docet modum aquam distillandi, quæ in vitrum recepta, ubi tantùm palmo admoto tepefeceris fundum, effundet gemmas, imò flores. Ex auro vitrum fieri & ex eodem vitro aurum notum fuit Bodino in theat. Flamma cereæ candelæ inflexa super aquam per obliquam aurifabrorum fistulam reddit ceram. Non assentimur etiam propter hæc formam unam quæ sit variarum figurarum formatrix, variorum accidentium sedes, quæ in fornaculis Ægyptiorum pullos ovis excludat, modiolo absq; fundo mensurabiles, quæ ex seminibus plantas formet, eadem & animalia, quæ ex concisis particulis serpentis regignat serpentillos. Ex coctâ

& sub-

& subjectâ fimo anate bufones: ex vitulo apes: ex cancro scorpios; ex medulla dorsi humani serpentes, ex erucis papiliones, ex melle pane inspersо formicas, nec tamen cogimur ad DEUM devotè quidem, sed rusticâ sanctitate recurrere horum assignaturi causam: neque hanc sententiam fulcit S. Aug. in Genes. ad literam, etsi omnes formas ab initio asserere creatas videtur: nec Arist. lib. de mundo c. 6. *Venerabilius & decentius est ipsum quidem DEVM in suprema regione stabilem esse, potentiam verò per universum mundum penetrantem, solem movere & lunam & cælum circumagere & causam fieri ijs, quæ in terra sunt salutis:* jam verò de hâc potentia c. 4. *dicitur verò etiam aliter spiritus, qui in plantis & animalibus est, & est per omnia penetrans, animatâ, & prolificâ essentiâ.* Nam hunc librum Apuleio, qui illum inter suos numerat, donamus. S. Doctorem de radice formarum simul creatâ, scilicet, materiâ, intelligimus.

De Natura & Arte.

Si Natura repetat ab arte quod suum est, nihil illi relinquet.

I. DOminam cum pedissequa producit Philosophia, Naturam scilicet cum Arte, ut velut interludium agant, donec à principiis intrinsecùs ad extrinseca deducat auscultantem. Ita hæc attenta Dominæ famula, ut in mores ejus transiisse videatur. *Natura enim est principium motûs & quietis ejus, in quo est primò & non secundum accidens.* Ars motum æmulatur & quietem: verùm cùm Physicè nequeat, facit directivè & *Formam* inducit suo operi; *cujus essentia consistit in situ partium, proportione, unione, aliquando & in conduratione,*

2. Opere artis aurum fieri est possibile: exempla id evincunt, & agentia naturalia posse haberi non est impossibile, quæ ubi data fuerint, ea manu artis ad imitationem naturæ possunt conjungi ac ut cæteris effectus mirificos, ita & hunc producere.

3. Verùm ut sæpe ars dum arcana Naturæ rimatur ac è profundo thesaurorum educit, magiæ id est, occultioris sapientiæ nomen meretur, ita vanè & futiliter supergredi conata ad spirituum pessimorum auxilia deflectit, atque infami nomine Cacomagiæ notatur ac damnatur.

 4. Caco-

4. Cacomagia habet Species 4. *Præstigiatoriam*, quæ innoxios & solùm curiosos effectus operatur. *Maleficium*, quod perniciem alijs creat. *Ariolationem* seu divinatoriam, quæ secreta ope Dæmonis inquirit; *superstitiosam*, quæ ex inanibus rerum indicijs aliquid certi colligit. *Divinatoria* rursus dividitur in propriè divinatoriam, quæ auxilio Dæmonis quærit futura. *Sortes*, quæ occulta; *Observationes*, & *Idololatriam*. Divinatio fit *vel* ex consideratione alicujus motûs aut rerum dispositionis: & hujus species sunt, *Orneoscopitica*, ex avium volatu *Icoscopitica* ex his, quæ domi contingunt. *Enodios*, ex his, quæ in viâ: *Chiroscopus* seu *Chyromantia*, quæ ex manuum superstitiosa inspectione. *Palmatica*, ex aliquo in corpore hominis nævo. *Onirocritica* ex somnijs. *Vel* fit divinatio ex ijs, quæ consultò ab hominibus fiunt ad acquirendam occultorum notitiam, talis *Necromantia* aut *Necyomantia* quæ per evocationem mortuorum, *Pyromantia* per ignem; *Hydromantia* per aquam. *Geomantia* per terram: *Haruspicina* per viscera animalium; *Aleuromantia* per farinam: *Critomantia* per hordeum; *Astrologia judiciaria*, per stellarum situs futurorum vetitam quærit cognitionem.

5. Pseudo Fundamenta Caco Magiæ. 1. Mundum & singulas partes ejus animatas. 2. Nomina Junonis, Jovis &c. non esse nomina Dæmonum, sed animarum mundi, quæ invocari possunt. 3. Multa esse genera Dæmonum bonorum, qui non sint Angeli. 4. Animam humanam, dum passione vehementi laborat, posse imprimere verbis, characteribus, & figuris vim physicam ad agendum: 5, Imagines sub certâ constellatione factas vim acquirere ad certos effectus producendos. Quæ excogitata, ut veletur pactum cum Dæmone, & nullius sunt rationis.

6. Virga colurna, quâ aurum quæritur plus de naturali habet, quàm globulus horas in vitro suo sonitu indicans, cùm numerus horarum sit arbitrarius & apud varias gentes alius. Numeri etiam Climacterici habent fundamentum; etsi non ut numeri agant; siquidem post septenos circiter annos fit in corporibus nostris variatio notabilis ac periodus quædam.

7. Per artem Pulli tàm Gallinacei, quàm Anserum Anatumq; in Ægypto excluduntur. *Joan.* Boysardus narrat sibi ab amico ex furno & arte Chymica per herbas destillatum brevissimæ licet vitæ donatum infantem: non credo. Paracelsus Homunculos per

los per artem formare promittit,excusant audaciam saniores illius Amici: & ajunt arcanum esse quoddam arte Spagyrica ex baculo vitæ (sic vocant vinum & triticum vitæ nostræ fulcra) extractum ex hoc sangvinem, sperma, extrahi, ut Gerardus Dornæus in Dictionario Paracelsi, sed ipsemet Paracelsus lib. 1. de generat. rerum nat. se reddit inexcusabilem, ubi & modum formandi hominis in fimo præscribit, quæ & fidei inimica persvasio, & sanæ rationi.

Viæ, quibus ars supergredi naturam videtur.

Dulce est interdum decipi.

Ludit sæpè ars & imperitis imponit. Philosophi naturalis est larvam detrahere, ac pro naturâ pugnare. Hæ itaquè larvæ sunt, quibus prodigiosam se mentita naturæ furatur gloriam.

1. *Sympathia & Antipathia rerum*, quarum cùm ratio assignari facilè non possit, miraculosum quid videtur præstari: taliter videtur extirpari arundo; si filice vomeri imposito locus aretur, cùm naturalem habeant hæ duæ plantæ Antipathiam, sic ut Zoroaster ait, ferox taurus arbori ficui alligatus mitescit.

2. *Agentia vera Physica adhibere, & iis prætexere impertinentia*, v. g. qui infundit saccarum lacti, dum in butyrum densatur, lac nunquam concrescet, dicit tamen ille se meris id verbis efficere: consolidæ radix injecta ollæ, in qua bulliunt carnes teneri animalis, carnes in unum colligit frustum: huic prætexit alias vanas causas.

3. *Sidera non parùm conferunt ad effectus tales*, ut luna mare ciet, ostrea implet vel inanit. Sic aliquis vult allium sine odore gravi nasci, illud serit, lunâ positâ subterris & latente eâdem eruit. Ex cœlo etiam sumuntur prædictiones naturales, ex quibus aliqui famam conciliabant sibi prophetiæ, ut Heraclides Ponticus scribit quosdam observâsse exortum caniculæ, & ex eo divinâsse, saluber an pestilens annus futurus esset: nam si obscurior & quasi caliginosa fuerit, pingue & concretum esse cœlum, ut ejus qualitas gravis & pestilens futura sit: si clara & pellucida apparuerit stella, cælum significat esse serenum ac purum, & propterea salubre,uti refert Columella.

4. *Virtus Magnetica, qualis in Magnete, Electro & aliis*, sic solsequium à sole trahitur: Selenotropium à Lunâ: à digito lingula succino attrita.

5. *Putrefactio:* Ita Serpentes ex capillis mulierum menstruatarum in fimo sepultis nascuntur: ex serpente in frusta conciso, & sepulto in fimo plurimi serpentes: apes ex bove. Modum describit Ovid. 13. *Metamorp.* & Virg. in Georg. Vespæ ex cadavere equi & crabrones: Scarabæus ex asino putrefacto: teste Plin.

6. *Mixtio:* sic Crocutæ ex lupo & cane. Musmus ex capra & ariete: monstra ex nequissimâ hominum cum feris libidine. Ex mixturis plurium seminum serpentes plurium capitum. Ex hâc causa natam Neapoli vidit Ioannes Porta Viperam bicipitem: ex hâc, plura in mari quàm in terris monstra.

7. *Insitio quadam:* sic cornua hominibus Scythæ implantant arietum, ut Fauni videantur: Alij partes avium, alij pecorum permiscent.

8. *Terrarum varietas:* Nam in Vngaria insita siligo edit triticum, & avena hordeum, & è contra alibi: quæ terra si habeatur aut similis per artem facta fructus præter spem afferet.

9. *Transplantatio*, ex rosâ sylvestri domestica &c.

10. *Translatio de loco ad locum*, ita Dæmon ex Indijs huc rosam potest in Decembri afferre, vel aliquam nobis ignotam plantam, & eam subtiliter terræ infigere, veluti hic nata esset: tali arte Apollonius se invisibilem, dissitus visibilem Basilides sacrificulus exhibuit.

11. *Cultura varia:* nam Persica dicunt inscripta nasci, si semina eorum terrâ obruas & post septem dies, ubi hiare cœperint, nucleos tollas ac cinnabari quod libuerit inscribas, mox ligatos cum suis ossibus terrâ rursus obruas: idem de amygdalis Africanus scribit, de aliis fructibus similia Constantinus.

12. *Impressio:* Cucumeres nascentur forma anguis, si dum è flore prodeunt, includantur tubo, in quo se tantùm in longum extendere possint: Cucurbitæ capita Angelorum alata exhibebunt similibus formis inclusa, ut Pontanus describit.

13. *Conservatio:* cadavera malorum potest diu sine putredine Dæmon servare. Nam Plut. docet, si carnibus æreus clavus infigatur, illæ diu incorruptæ manebunt.

14. *Corruptio inopinata:* Cassianus scribit, si betæ radix contusa in vino per tres horas jaceat, illud vertit in acetum: num-

mus

mus æreus, si camino fabri injiciatur, nequaquam ferrum poterit ducere: Mercurio si sputum nic atur, obdormit.

15. *Formatio lapidum:* ita succini minutæ particulæ coctæ in rosaria formantur & inde rosaria nigra succinea: ita in alembico vitreo lapides crescere possunt.

16. *Exhibitio occulta Medicamentorum:* Sic Dioscorides scribit eodem habitu hominem statim obdormiturum quo Mandragoram hausit. Si autem plusculum ejus hauriatur insanire facit, si multum, occidit. Cuminum livorem palloremq; bibentibus gignit: & ejus suffitus, facies emaciat. Et hoc eodem modo facies coloratæ produntur, nam si manderis grana Cumini vel modicum allij & allocutus fueris suspectum fuci, color totus abibit: idem fiet si crocum commasticaveris, vel si suffitum feceris sulfureum, color faciei fucatæ nigrescet. Sic aliquis lavando manus, nigriores tersione habebit, si calchantum contritum & gallæ pulveres intritæ fuerint manili: canes & corvos Athenæus scribit inebriari æmittâ herba, ut manu capi possint seu potius rhododaphnæ: Equi semimortui jacent per horas 12. si hyosciami semen in hordeo illis præbitum fuerit, nares autem aceto perungendo, redduntur sibi: Sues insaniunt hyosciamo devorato, inquit Ælianus. Aves manibus capiuntur, si allium quod in campis nascitur incisum & frugibus mixtum voraverint, teste Plinio, Cornices manu capiuntur, si intra carnes nucem vomicam intriveris, ut docet Oppianus.

17. *Machinas formare:* Potest Spiritus aquam instar speculi visorij continere sub figurâ segmentorum sphæricorum: & sic ignem vi solis accendere; potest cogere in modum speculi corpus aliquod, & sic homo in eo seipsum videbit vel alia. Potest in modum speculi concavi, & ex eo prominens imago videbitur: potest oculis præponere corpora instar lentium cavarum, & sic omnia minuta videbuntur, si instar lentium convexarum, omnia grandia, si instar angulosarum, omnia multiplicata. Sic Alb. Magnus caput dicitur fecisse naturali arte, quod loquebatur. Sic infundibulũ auri si apponatur, surdaster voces distinctas percipiet, & hoc Spiritus potest facere, corpus aliquod instar tubi Optici formando; sic aspicere aliquem remota faciet, si formaverit lentes, velut in tubo Optico. Hoc modo Dædali statuæ sine interventu Cacomagiæ inambulârunt, ut est apud Arist. 1. de Anima, tt. 44. erant enim automatæ, sicuti fiunt per libramenta aut chali-

bem violentè adductum horologia sono statutas horas designantia, & musica organa. Eodem referenda lignea Architæ columba volans, de qua Gellius lib. 10. c. 12. Eodem Aquila ænea volitans oblata Carolo V. & argentea triremis, quam ab argenteis remigibus impulsam, & cum ad extremam tabulam, cui superferebatur, ventum esset, ab iisdem retroactam memorat oculatus testis Loyer, qui & alia multa refert lib. 5. c. 8. de spectris: hæc enim facta fuerunt per artem, quam vocat Penna in 3. p. direct. Inquisit. scholio 32. pegmaticam, vel magiam mathematicam, adhibitâ ope rotarum & ponderum. Sic Venerem ligneam fecit Dædalus mobilem infuso argento vivo, teste Arist. l. c. sic & statuæ multæ videbantur loqui, cùm reverà homines per inclusos in illis tubos loquebantur: sic Memnonis statua apud Ogygias Thebas auroram salutabat, fortè, quia inclusus in cavo illius aër calore solis rarefactus per angustum foramen erumpendo stridebat, vel oriente sole ventus solitus oriri in tubam obversam impingebat, qualem describit statuam Sigism. Baro in rebus Moschov. quæ plena erat tubis & fistulis, in quas se ventus insinuans exiles voces edebat. Similia de tribus mentibus Persicis scribit Clemens Alex. ostendit etiam P. Kircher, quomodo in montibus quibusdam naturaliter possint exaudiri noctu voces exercituum, lege in Arusticis in libro Lucis & umbræ. Ita deniq; Cassiod. lib. 1. var. laudat ingenium Boetii. *Dura ingeniosâ dispositione solvuntur, metalla mugiunt, Diomedis in ære grues buccinant, æreus angvis insibilat: aves simulatè fritinniunt & quæ propriam vocem nesciunt habere, dulcedinem probant emittere cantionis.* Sed nec modo ars ista defecit, Constructæ sunt alicubi ad fontem aviculæ multæ per ordinem dispositæ, & his assidens noctua, quæ suâ spontè ad aviculas convertitur, & rursus avertitur: aversâ autem eâ cantant aviculæ, & rursus ad ipsas conversâ silent, & hoc fit per syringas quæ prout tenuiores, aut crassiores, prout in longitudinem extensæ vel contractæ, prout pars illarum in uberiorem aut exiliorem immergitur aquam, variant sonos, ac voces avicularum fingunt. Simili modo apertis cujusdam palatij valuis sonus tubæ efficitur. Hercules custodit auriferam arborem, cujus pomum si moveris, Hercules sagittam jaciet, draco sibilabit. multa sunt ejusmodi hydraulica, de quibus Vitruu. lib. 10. Hero in Spir. Porta Magiæ 19. & alij qui agunt de æquiponderantibus, centrobarycis, zygostaticis, mochlostaticis, sphe-

nostaticis,

noſtaticis, ſpartoſtaticis, hydroſtaticis, pneumaticis, pyroſtaticis, automatis, polymechanoſtaticis, polierceticis. Conſpicitur Lutetiæ caſtellum arte factum in quo omne fabrorum genus munus ſuum ſcitè exercet. Viſa eſt Norimbergæ muſca ferrea, è manu artificis evolans, quæ ubi convivas circumvolavit, veluti defeſſa in manum Domini rediit. Vidimus per cochleam Archimedis flumina in ſuos fontes redire, irides in conclavi naturalibus meliores, ventos æolipylis excitatos, vaporum aſcenſum & reſolutionem per imbres, grandinem, meteora ignea, atq; fulmina ex aureo pulvere facto præcipitatione in ſpiritum tartari. Sed modum concluſionum excederemus ſi ἐγχειρήματα quæ funiculis, ponderibus, orbiculis, ſpiritu incluſo, mira oſtentant, proſequi vellemus.

18. *In rebus notis caſum ſimulare:* Hoc modo Spiritus defodit pecuniam & dat Mago candelam, ut ubi illa extincta erit inquirat pecuniam: ſic Aquilices certis ſignis, ubi cognoverunt aquas latere, eas oculis feriâ ſexta manè quærunt. Sic quidam Vngvento dentes ungebat ægrotos, ut exciderent, & ſimulabat eos inflatione follis fabrilis ejici.

19. *Occaſionis uſus:* Sic fur deprehenditur comeſtione caſei, non quòd caſeus prodat, ſed quia fur timet, timenti autem os areſcit, arido autem ore caſeus utpote aridus devorari non poteſt. Quam primus inventor rem ſimpliciter inſtituit, ſuperſtitio ad certum diem detorſit.

20. *Turbare medium:* Homines virides videbuntur, ſi lucernis æs viride contuſum infunditur, & alia flamma omnis abſit: vel vitra ſint viridia, in quibus ignis latet, vel feneſtræ, per quas lux immittitur.

21. *Velox agitatio:* Qualitèr Circulatores multa peragunt. Horum omnium effecta, quamdiu cauſæ ignorantur miraculoſa videntur. Nam ex neſcire oritur mirari: ideò Pythagoras jactabat ſe per Philoſophiam conſecutum, ut nihil miraretur; cui Plato in Thæteto conſonat. *Tum demum perfecta erit Philoſophia, cùm omni admiratione depoſita perfectam cauſarum notitiam complectetur.*

De

Natura servat modum rebus in omnibus.

I. MOdos tùm S. Thom. 2. p. q. 54. a. 2. ubi actionem realiter distinguit, & alibi, tum Scotus in 2. dist. q. 5. & non pauci è veteribus admiserunt, & ante illos S. Damasc. lib. 3. c. 3. de fide, imò & alii Patres, uti refert Maurus.

Fundantur in illo potissimùm principio. *Non potest transitus fieri ab uno contradictorio reali ad aliud sine novâ Entitate.* Nam idem secundùm idem nequit simul esse & non esse, vel tali modo esse & non esse. Imò, si semel concedatur contradictoria ante omnem mentis cogitatum sine mutatione reali jam convenire, jam non convenire: tolletur realis distinctio: & hoc idem immutatum licebit dicere jam hîc esse, jam ibi, jam esse unitum, non unitum &c. Neq; enim aliquid solâ ratione distinctum sufficit, ut ab unâ contradictoriâ reali denominatione transeatur ad aliam, ut jam dicatur Petrus currere, qui non cucurrit, si cursus Petri nec modò est.

De Vnione.

I. QVia extrema transeunt de uno contradictorio reali ad aliud, quod sine novâ Entitate reali fieri nequit, Vnionem modum esse dicimus. Neq; sufficit præsentia animæ, nam risit hoc olim Tertull. c. 44. de animâ, *Quod talium corpus animæ sit pro vagina, cui tantùm imponatur.*

2. Sympathia animæ ad hoc corpus, præterquam arbitrariè adstruatur, etiam hoc habet contra se: Sani ejusdem & ægri, phtysici & hydropici, pueri & senis, corpora non minùs à se differunt, quàm hominis unius ab alterius, cur ergo ad illud potius dicat Sympathiam? imò ipse Wadingus hujus sententiæ repertor d. 4. n. 51. de Incarn. fatetur, hoc modo non posse explicari Vnionem hypostaticam, quia nulla humanitas hanc ad VERBVM Sympathiam dixit.

3. Neq; per decretum DEI potest satisfieri: Sic enim tolleremus omnes qualitates, dicendo, album fieri parietem ex

non

non albo nihil esse, nisi decretum DEI volentis illum esse album. Quia si unio potest explicari per decretum DEI, cur non posset albedo? Tam enim potest DEVS dicere, *Volo hunc parietem ex non albo esse album*, quàm, *volo hanc formam ex non unita esse unitam*. Vnica est hæc Entitas in composito. Quia etiam Vnio hypostatica non est duplex.

De Actione.

I. PRobat nostram sententiam Angelicus Doctor supra cit. 1. *Agere est motus sed essentia v.g. Hominis non est motus, Ergo essentia hominis non est actio.* 2. *Actio transiens non est de essentia rei, ut patet. Nam essentia agentis est intra ipsum sed actio est effluxus agentis in passum.* 3.q.45.a.3. ad 2. *Mutatio est media quodammodo inter agens & motum.*

2. Etiam Creatio modaliter distinguitur. Probamus cum Theoph. Rayn. Theol. Nat. dist. 8. n. 319. Eadem quantitas in Eucharistia ante consecrationem educebatur, post consecrationem creatur, & corruptis speciebus, dum nova Materia substituetur, rursus educetur eadem quantitas. Vnde si Creatio non differt â quantitate nec eductio differet. Itaq; eductio cum Creatione erunt idem, quia idem sunt cum quantitate, juxta illud. *Quæ sunt eadem uni tertio: sunt eadem inter se.* Et DEVS primo casu denominabitur educens, secundò creans, tertio rursus educens, & nulla nova Entitas fundans hanc denominationem exoritur.

De Vbicatione.

I. ET hanc S. Th. distinguit in 1 dist. 37. q. 3. a. 1: Nam sicut bona hæc est consequentia. Potest esse paries albus & non albus quocirca ab illo albedo distinguitur: Ita etiam hæc est bona: potest esse Petrus hîc & non esse hîc, Proinde *esse hîc* ab illo distinguitur. Neq; tamen, ut vult Ariaga, est Absoluta Entitas. Quia perfectiones Entibus non sunt tribuendæ sine gravi fundamento. Quale non assignat ille.

2. Rem esse sine omni ubi penitus non posse jam ante nos certum erat veteribus. Nam 4. Physi: 1. *Quæ sunt, omnes existimant alicubi esse, quod verò non est, nusquam esse.* Idem Plato & ferè iisdem verbis in Timæo. p. 3. Paulò post init. & Tullius

Tusc,

Tusc. 1. *Quod est, nullibi esse non potest* & S. Aug. epist. 57. *Quæ nusquam erunt, omninò non erunt.* Nam, licet res non connectatur essentialiter cum ubi determinatè, conjungitur tamen disjunctivè, sicut & cum tempore, & iis ablatis, consecutivè perit:

De Situ.

ET hic novum modum constituit. Quia nova realis denominatio intervenit. Nam *ubi* dicit corpus esse in loco; *situs*, hoc modo se partes habere. Figura etiam ex suo conceptu non respicit locum. *Deniq;* non mutato situ potest quis mutare locum.

De duratione.

SI duratio non est distincta à *Petro*, respectu ejusdam formæ simul & semel, Petrus erit in actu & potentia: in actu, quia hodiernam durationem habet; in potentia quia crastinam non habet: atqui crastina cum hodiernâ est eadem, cùm juxta non distinguentes sit ipse *Petrus*. DEVS non est hodie in die crastinâ: nam non est in tempore, quod solùm est Entium variabilium, ut docet *S. Th.* 1. p. q. 10, a. 5. sed DEI æternitas est tota indivisibilis, cujus mensura non potest esse tempus: itaq; solùm, *DEVS* esse potest, & tempus hodiernum esse potest, ex quo relatio coëxistentiæ consurget. *Existere me*, aliquando sonat nominaliter quasi abstrahendo à tempore: aliquando verò participialiter & consignificando tempus præsens: nam *existere* est *existentem* esse, quod utroq; horum modorum sumi potest, ac proinde æquivocationem fundat: prioreq; modo sumptum indifferentiam asserit, posteriore tollit ob inclusam durationem.

De Causis in Communi.

Causam rebus dare cujusvis est, rerum verò dare causam solius Philosophi.

I. CAusa optimè definitur, quòd sit *Principium esse limitati*: sic enim evadit omnia vitia in quæ cæteræ definitiones impingere solent; non enim potest trahi ad divinas

divinas principiationes, non ad conditiones deflecti: non laborat obſcuritate aut circuli periculum incurrit, quod evenit illi cùm per effectum deſcribitur: omnes reſpicit ſententias, etiam illam, quæ concedit idem à ſe ipſo poſſe reproduci: non incidit in ambiguitatem ſicut cum dicitur *defectibiliter operari*. cùm defectus ſe poſſit vel ex parte cauſæ, vel ex parte effectûs tenere.

Nihil cauſa operatur, quando non eſt, etſi immediatè antè fuerit: enim verò malè nobiſcum ageretur. Mortui enim & periculo labilis vitæ per ſupremam exempti horam, adhuc periclitaremur, & jam ex peregrinatione in terminum collecti adhuc viatores ageremus, cum delinquere, aut ex virtute adhuc aliquid agere poſſemus.

3. Cauſa nulla naturaliter agere in diſtans poteſt, & quidem intrinſecæ cauſæ ſuâ ſe indole diſputationi ſubtrahunt: ſola Efficiens facit locum controverſiæ, verùm pro negativa parte tota natura pugnat. Conſtat enim quòd toties impediatur actio agentis, quoties inter agens & paſſum aliquid interjicitur impediens virtutem agentis. Nam eoipſo quòd inter ſolem & nos aliquod corpus opacum conſtituitur, non poteſt à ſole ad nos devenire illuminatio: ita etiam, quando tegimus oculos ne radii viſibiles penetrare poſſint, oritur quædam nobis nox etiam die claro. Natura enim agit per breviſſimas lineas ſcilicet rectas, neq; circumire novit obſtacula, neq. ubi ſemel ſuperare nequivit, alio ſe loco in diſtans reparare novit.

4. Vt cauſa efficiens agere in diſtans cenſeatur, debet paſſum conſiſtere extra terminos ſphæræ activitatis, qui quidem in diverſis agentibus non ſunt iidem. Illa Sphæra impletur ſubinde effluvijs à ſubſtantia, ſubinde accidente tantùm, idq; vel noto & ad primas qualitates revocabili, vel ab ijs diſcreto, quod vocamus occultam qualitatem. Quomodo enim aget, ubi non eſt? perinde enim, hîc non eſſe, atq; abſolutè non eſſe. Tam tygris, quæ in Hyrcania moratur, me non lædit, quàm quæ nunquam exiſtit, & conceſſâ actione in diſtans Cacomagiæ in multis honeſtus color porrigitur: hâc excuſabuntur tranſplantationes morborum, hâc ungventum armarium, hâc literæ in membranâ ſangvineâ.

5. Imò neq; divinitùs ſimpliciter actio in diſtans contingere poteſt. Si enim Sphæra activitatis non habeat concurſum in medio, habeat in fine, non agit in diſtans. Si in medio inhabile habeat

beat subjectum, in extremo habeat capax, non agit in distans: Si verò Sphæra desinat & DEVS illam in distanti reproducat, certè approximata tunc aget. Arbores cùm plures uruntur, sphæram extendunt, quæ in minimo naturali cùm finiatur, illi alter ignis addit plus, & sic extendit.

6. Magnes itaq; minimè agit in distans, sed diffundit virtutem tractivam, quæ corpora, sicut lux diaphana permeat, ac ubi invenit aptum subjectum, in eo operatur. An bullientis fundus lebetis frigeat, contendunt duo Hispani: Arriaga ait fundum planè ardere & id se expertum. Oviedo frigere idq; se tentâsse Nobis non placuit subire periculum, componemus tamen litem: friget fundus, non ideo ignis in distans aquam fervefaciet. Quidquid ignis calefecit, attenuavit, & in altum extulit, crassiores ergò partes attenuandæ descendunt, & illæ fundum attemperant, priusquam omnes ad tenuitatem reducantur. Hinc initio bullitionis fundum frigere aut saltem tepere non improbabile, & eo tempore credo Arriagam manum admovisse, post ebullitionem verò peractam, Oviedum. Sic porcellus dum in veru aflatur (quod tanquam indubitatum narrat Scalig. exerc. 20) maximè rostro calet, postquam verò est aflatus, minùs eo loci quam reliquo corpore æstuat. Quia scilicet dum aflatio peragitur calor ex toto corpore in rostrum concurrit: postquam verò peracta aflatio, cessavit evaporatio fervens ad hunc locum colligi, quia attenuatum totum corpus factum est pervium.

7. Oscitantes alios ad similem actum provocant, eo modo, quo & ipsemet se provocat, qui se oscitare cogitat. Quia phantasiam recordatione concitat. Phantasia etiam imprimit notas infanti: frequens hujus rei & cum dolore sæpe experientia, sed non in dissitum agit. Oritur enim re aliqua conspectâ, quam mulier amat aut odit, imaginatio vehemens, quæ dirigit potentiam formatricem objiciendo ei imaginem objecti, ut ideam, quam imitetur formando. Licet enim formatrix sit vegetantis instrumentum, ejusdem tamen est animæ potentia, cujus & imaginatio. Imaginem verò formatrix eo modo discernit, quo radices arborum inutile alimentum ab utili,& cùm anima sit eadem conformat se in excitando aliam potentiam, sicut videt aliam excitatam. Idcirco ad imprimenda signa fætui sufficit imaginatio fortis, quod demonstrant oves Iacobi Patriarchæ tempore graviditatis, quia tum est formatrix in opere. Etsi nondum fætus

est effor-

est efformatus, potest adeò formatrix perverti, ut etiam membra immutet, manum v. g. in pedem bestiæ: si verò formatus, saltem per excrescentiam carnis fœtum signabit. Hinc falsâ curiositate deludunt, qui pullos certi coloris promittunt, si color ille gallinæ incubanti objiciatur: quasi verò gallina per imaginationem in ova extra se posita, sicut Mater in fætum utero conclusum agat.

8. Tarantulæ instantia nec locum hîc habet. *Dum* quis ab hac bestiola (quæ in Aquilia specie aranei nascitur) mordetur, unico ferè modo curatur, si musica ad saltum donec venenum exsudet, incitetur. Huic veritati, quæ adjiciuntur, ferè sunt fabulæ. At Virga fortunata flectitur versus metallum, uti Ingolstadii anno 1617. Discursu *Philosophi* & in Opticis Olomucij anno 1657. assertum quia & virga salicis & alni versus aquam: aqueæ sunt enim arbores. Sed quare non sibi relicta colurna inclinatur? Flectitur & spontè, sed non tam strenuè: virtus ejus calore manuum, idq; noncujuslibet, sed meliùs constituti, excitatur. Sic & arista siliginis proximæ flori in manus accepta effloreſcit: sic & magnes chalybe munitus virilior evadit. Alij tamen pro diversitate metallorum diversis virgis utuntur, coryli ramis ad argentum, fraxini ad æs, piceastri ad plumbum. Imò advertit Agric. ramos ejusmodi arborum dum venas super metallicas, nondum avulsos versus metalla prospicere. Ungvento armario seu Hopliathrico parum fidei, imò nihil tribuo: variant admodum in ejus descriptione: aliter illud Kekerman, aliter Wecherus, aliter *Tidicæus*, aliter alij componunt, damnant passim Academiæ. Ad superstitiones refero transplantationes morborum, quarum multas *Paracelsistæ* jactant. Qualis est laboranti podagrâ pilos tibiarium & pednm ungves resectos quercui ad medullam terebratæ inserere, & occludere, atque sic ægrum malo sublevari. Plura ejusmodi Tentzelius habet; sed neq; illud Henrici Ranzovii extra suspicionem lib. de tuendâ valetudine, Si inquit, velis tollere verrucam, lardo attinge, lardum extra fenestram appende, ubi aruerit lardum, simul arescet & verruca.

9. Quod matres lac pungat in uberibus, dum alibi positus infans vagit, facit imaginatio, aut lactis copia. Aqua Filiornm Regis Angliæ Oliverii & Arti, quæ illis mutuò statum à se dissitis indicabat, vires ordinarias naturæ excedebat. Inter fabulas repono ducas acus magneticas, quarum si una per alphabetum

circumagatur, altera valdè procul posita easdem literas respiciat & sic epistolam constituat. Candelas vitæ & mortis ex sangvine confici, quæ suâ flammâ statum viventis indicent, non abnuerim, sed quòd tam diu arsuræ, quamdiu alter in vita, hoc est extra leges naturæ. Vitam calendarum, copia materiæ constituit; etsi juvet aliquid & qualitas, sed ad æqualitatem cum vita adducere non potest. Dolendum quod Hernestus Burgrav. Illius descriptioni integrum libellum impenderit.

10. Ad occisioris præsentiam sangvinem è cadavere, occisi fundi hac puto ratione cum Kircher: Certum est, 1. è corporibus certâ humorum temperie constantibus insensiles quosdam subtilissimasq; exhalationes diffundi, quæ dum aliud corpus intra actionis suæ sphæram attingunt mirificè illud alterant. 2. Affectus animi vehementiaq; pathemata magnam vim obtinere in animam, spirituum ope totius corporis humores alterando & potissimùm in sangvinem suam vim exercendo. 3. In mortui cadavere non statim omnes qualitates sangvini existentes, neq; spiritus animales desinere, quorum operâ aliqui motus aut actiones vivis non dissimiles causari possunt. 4. Inter Homines vivos etiam ignotos vel ad primam conversationem subinde tantam aversionem notari, ut nequeant mutuò se tolerare, quod non propter solam imaginationem, sed Physicam quandam qualitatum contrarietatem, non secus ac in lapidibus, plantis, atq; animalibus, contingit. His præsuppositis ita hunc mirum effectum explico. Cùm in homicidio ut plurimum vehementes animi impetus potentiæ irascibilis interveniant, præterea invidia, ira: teste S. Thoma certum quoddam ex effusâ bile generari venenum fascino peragendo aptum, ita efficax, ut non solum proprium corpus extenuare soleat, sed & in aliud agat: ita quoq; inter cadaver spiritibus adhuc turgens animalibus & occisiorem irâ, invidiâ & odio effervescentem qualitates quædam generari possunt qualitatibus sangvini cadaveris inexistentibus contrariæ, quibus sangvis incitatur; sic aliqui cholerici copiosum per nares sangvinem fundere solent, dum irâ effervescunt: quando igitur ocisoris sangvis, quod suum est, appetit, nempe illos malignos spiritus, quos occisor per oculos, nares &c. occiso indidit; occisi autem contrarii spiritus spiritum hostilem repellit, fit, ut hâc spirituum contrariorum luctâ sangvis, qui eorum vehiculum est, effervescens & rarefactus foras erumpat. Aliqui se ab hac difficultate

cultate facilè expediunt, siquidem non semper contingit, miraculosè fieri asserentes.

11. Voces nullam activitatem Physicam exercent: unde verò Magi vocibus peregrinis aliqua operentur, non postremus inter illos Jamblicus Porphyrio id requirenti respondit: *omnia ejusmodi nomina significare aliquid apud Divos seu Dæmones.* Hoc est pactum cum geniis pessimis ab aliquo initum, ut iis deinde à quocunq; recitatis Dæmon, quod promisit, operetur: recitat in hanc rem Hist. *D*elrio in Disquis: lib, 2. q: 29. s. 1. Dum puer ignarus legeret Corn. Agrippæ conjurationem & spiritus se stitisset, nec puer ulteriùs procedere novisset, cervicem illi elisit. Non nego tamen in curatione posse imaginationem ægri conferre, dum per verba inutilia supra illum prolata spes in eo sanitatis excitatur. Nonnisi per scelus adscribi posse activitatem characteribus dicimus quod R. *Moyses* cit, á Io. Gotop. Bec. in Hermenthena *Idolomantiam abominandam esse, si quis vim aliquam literis inesse credat ad miracula vel res quasvis perpetrandas.*

12. Conceditur tamen vis Amuletica, cum Gal. 6. de simpl. ubi pæoniam è collo appensam mederi Epilepsiæ scribit, Fernel. l. 2. de abd. c. 17. Ungulam alcis spasmo. Dioscor. l. 5. c. 18. Aetiten lapidem partum promovere. Kentman Tincam piscem ictero applicatam mederi. Unzerus de nephritide, quod gestatus calculum pellat: inter hæc non magis distans actio, quàm inter emplastrum, & vulnus. Conceditur & *A*ntipathia & sympathia: sic Leo Gallum formidat. Araneus cum bufone & serpente perpetuò bellum gerit. Fraxini ne longissimam quidem umbram serpens patitur. Quercus in oliveto sata intra se refugit ac tandem arescit. Olea prope iuglandem sita & ipsa ægrotat & iuglandem ægram efficit. Vitis brassicam fugit. & vinum, si brassicæ in ollam ad coquendum ingestæ affuderis, non coquetur. Vitis lauri odore sit deterior. Mustela murem, mustelam rubeta etiam è remoto & reluctantem attrahit. Argentum vivum aquam & oleum ebibit, Rutam amat ficus, & vicissim illius vicinitate amænior ruta: cornicum & ulularum sangvis misceri non potest; Idem de sangvine Aegiti & Flori narrat Arist. l. 9. Hist, c. 1. alij pirorum, alij pomorum odorem pati nequeunt, alii felem, alii murem. Cancer si polypodio contingatur. paulo post crustam deponit; multa antipathiæ inter animalia adducit exempla Plin. lib. 10, c. 74. Sed nulla hic actio in distans, Nam animalia se

 oderunt

oderunt vel propter pabulum, locum, vel generationem, desiderio se suaque tuendi. sympathiam in illis facit similitudo morum ac vivendi, & hæc excitatur in appetitu ab objecto cognito. In aliis Antipathia, prout constant temperie noxiâ aliis vel proficuâ, quæ statim se prodit per vapores, effluvia, spiritus, quibus afflantur res etiam dissitæ.

13. Multum etiam occultis astrorum qualitatibus tribuendum. Nam in Solstitio æstivo olea, tilia, populus, ulmus, salix folia circumagunt, & aliâ facie cœlum respiciunt, quàm pridie. In brumali verò etiam aridum ac è clavo pendens pulegium eflorescit. Herba ocymoïdes nonnisi noctu floret & fragrat. Cichoreum, Heliotropium, Lupinum, malva, Tragopos, Ornitogalos solem sequitur floribus ab ortu ad occasum successivè promotis: Trifolium ter de die ad solem mutat colores, manè candidum, meridie purpureum, vespere puniceum. Omnia ostrea & conchylia intra suam testam cum Luna crescunt & minuuntur: Selenites lapis imaginem Lunæ juxta incrementa diurna exhibet. Formica esto sit cæca, juxta Arist. laborat totis noctibus in plenilunio, circa Novilunium quiescit. Plinius refert Soricum fibras diebus Lunæ respondere. Medicinas exhibitas, dum Luna diversa signa peragrat, diversè operari, advertterunt Medici Ægyptij.

14. Implicat, ut seipsum physicè quid primò producat. Quia esset, antequam esset: quod etiam valet in diverso genere causarum. Sed postquam semel extitit, potest seipsum reproducere, & de facto juxta multos CHRISTVS physicè seipsum reproducit in Eucharistia: & jam cessat periculum mutuæ prioritatis: nam etiam idem potest esse causa sui moralis, quoad secundum esse, id est, sibi impetrare ulteriorem durationem: vel ut reproducatur in alio loco, quia pro diverso tempore vel loco videtur existens & extiturus. Formas substantiales materiales tam viventium quàm non viventium producunt cœli accidentia.

De Causis in particulari.

Quadrigis in hunc mundum omnia invehuntur.

I. CAusa materialis est pars compositi subjectiva, supra meteri-

materiam primam involuit diſpoſitiones, connotat compartem & compoſitum. Anima rationalis & Angelus eſt cauſa materialis ſuorum accidentium, non tamen ſunt materia prima: etiamſi nihil ex materia educeretur, dummodo formæ uniretur, conſtitueret compoſitum. DEVS nequit eſſe pars compoſiti, aut formam ſuſtentare, & hoc modo nequit concurſum Cauſæ materialis ſupplere, ſed efficere poteſt, ut forma non indigeat ſubiecto ſuſtentante, & hoc modo quantitatem in Euchariſtia conſervat, Quia ſi in homine loco materiæ eſſet DEVS, ille homo non eſſet verè homo. Perſonalitatem DEVS ſupplet, quia hæc non conſtituit naturam, nec principium paſſivum aut activum, ſicut Materia & Forma.

2. Formalis cauſa, *eſt id, quod componit cum parte præjacente totum.* Proinde eſt æquè vera cauſa, ac materia. Primarius effectus cauſæ formalis eſt informatum compoſitum, informatio verò ſeu unio eſt ipſa cauſalitas. Secundarius formæ effectus eſt expellere formam priorem, hic ſuppleri a DEO poteſt: prior enim effectus non diſtinguitur à forma, diſtinguitur poſterior. Eadem verò forma in variis ſubjectis varios præſtat effectus. Nam calor indurat lutum, mollit ceram.

3. Non abſurdum eſt, quod Chymici adſtruunt, ſuâ figurâ & formâ exteriore indicare herbam, cujus membri humani ſanationi conveniat, id tamen non eſt ſufficiens, ſed ſcrutari opus naturam, quæ ſub eadem figura ſæpe diverſa concluſit. Prior pars aſſerti ex eo videtur probabilis. Omnia enim propter hominem facta, neq; gratis figura herbæ impoſita. Experiuntur id ipſum ita ſe habere paſſim. Nam capiti proſunt, quæ ejus figuram exprimunt, ſcilicet pœonia, antequam flores aperuit, flores Nymphææ, capita papaveris, illi æſtum reſtinguunt, hæc ſomnum conciliant. Defluvia capillorum ſiſtit capillamentum roſis ſylveſtribus adnaſci ſolitum, juvat & ruta muraria, & muſcus capillaris, & abrotanum, & muſcus arborum, ſingula ſcilicet capillos imitata. Oculis proficua omnia luminoſa, fulgida, ut hypericum, heliotropium, euphragium, calendula. In auriculis necat vermes, auricula muris, cyclamini folia auditum inſtaurant. Dentium dolorem leniunt radices filicis ſquamatæ, quos à ſcorbuto præſervant, medentur & hyoſcyami folia. Pulmonibus prodeſt pulmonaria maculoſa, herba ſcabioſa dicta: &c. De quibus Ioan. Bapt. Porta in Pitogn. Sennertus in conſenſu, Crolius & alij.

 4. Sed

4. Sed & in animalibus multa indicat forma exterior, *quia necessarium est corpori consequi talem formam*, ait Philosophus Physiogn. cap. 1. & addit c. 2. quòd signa physiognomiæ accipiantur *ex figuris, coloribus, ex moribus in facie apparentibus & ex lenitate, ex voce, ex parentibus, & ex figura totius corporis*, sed conjecturam non excedunt, veritatem non semper assequuntur. Ejusmodi signa plurima colligit Nicquet. *Præcipitis viri hæc ponit.* Caput parvum, fastigiatum, in mucronem desinens, frons parva, rotunda, supercilia conjuncta, velox incessus, sublimis inter incedendum vultus, lingva velox, color carnis rutilus, corpus parvum, siccæ carnes. *Robusti*, Pili duri, ossa & costæ magnæ, extrema corporis magna, dura, robusta, collum breve, carnosum: cervix erecta, dura, pars capitis posterior unde incipit spinalis medulla, alta, elevata, magna, tumens, cute durâ & crassâ prædita; frons dura, brevior: acuta & crassis capillis cooperta. *Prudentis*, Caput ad latera compressum, in occiput, sinciputq; protensum, mediocre & mensuratum, longa frons quadrata, in medio subconcava, lenis vox media inter gravem & acutam, pectus latum, pili tenuiores, nasus aquilinus, aures mediocres, vel majores mediocribus; oculi magni, cæruldi, fulvi, nigri. *Pertinacis* frons alta, collum firmum, immobile, crassum, breve, loquela velox, risus immodicus, oculi sangvinei, manus breves, carnosæ: mutili digiti. *Loquacis* mentum oblongum, digiti oblongi, linqua acuta in mucronem desinens, superiora majora, oculi subrubei, superius labrum & gingivæ prominentia. *Gulosi* os magnum, venter magnus, spatium ab umbilico ad Metaphrenum longius quàm quod à Metaphreno ad clavem colli, collum pingve, nares patulæ, digiti longi, oculorum palpebræ prominentes, loquela gravis: &c.

Exemplaris causa est, *id, quod artifex conatur exprimere, dum operatur.* Idcircò est ipsum objectum repræsentatum & cognitum, non verò cognitio, etsi dirigat ad exprimendum objectum quæ ob hoc solùm erit Idea ut quo. Causæ inanimæ & bruta, & homines cum agunt actiones plantarum ut dum generant, nutriuntur, non habent ideam, quia non agunt, ut cognoscentia. Non influit Physice idea sed intentionaliter. Duplex autem exemplar, aliud internum, aliud externum, quod oculis inspicimus. Causalitas ejus actio, quæ ab agente procedit ex directione illius. Idea spectat ad formæ extrinsecæ genus.

6. Fini

6. *Finis est id, propter quod aliquid fit*: illa quæ fiunt propter finem ponendum, dicuntur *media*, quæ subinde non distinguuntur ab ipso fine. Non autem cognitio, sed res cognita est finis, quia hanc non illam intendimus ponere, cognitio verò est conditio applicans. Effectus causæ finalis omnes illi sunt actus, qui ob cognitum finem ponuntur, etiam ipsius finis positio.

7. Propter finem DEUS, Angeli, homo, agunt, quia eligunt media, eorum utilitatem unius præ alio conferunt cum fine: res inanimatæ agunt agunt propter finem non à se, verùm à *DEO* sibi præfixum, ad quem etiam illam determinat. Bruta non agunt propter finem licet multa similia humanis actionibus exerceant. Hinc Hippopotamus, dum se gravem humore sentit, per arundines recenter incisas discurrit, ut læsus sangvinem diminuat. Palumbes & meruli superfluos humores lauri foliis devoratis educunt. Cynocephali: tibias inflare & cytharam discunt tangere. In Peru cum incolis lusu chartifoliorum concertant de pecunia simij. Mures è domo vicina ruinæ diffugiunt. Instar funambulonum Elephanti per chordas in aëre ductas gradiuntur. Formicæ ne grana congesta pullulent, prærodunt capitella, quâ virtus geminalis prodit. Erinaceus cane allatrante se in glomum colligit. Corvus Augusto redeunti ex Actiaco inclamavit χαιρε Καισαρ & cum alter idem repetiisset à Cæsareq; despectus fuisset, protulit *Oleum & operam perdidi*. Elephanti cibo cùm quispiam rudera injecisset, ille invicem ollæ ejus, in qua coquebantur carnes, cineres infudit. Ad lacum Mæotidem lupi piscatorum custodiunt retia, & ab illis accipiunt alimenta. Mustella priusquam cum serpente congrediatur devorat rutam, & sic adversus venenum se præmunit. Hierca sive lupus Africanus addiscit nomen alicujus hominis, & tandem noctu ostium accedit & evocat nominatim, exeuntemq; devorat. Sed majora narrat Bellefortius lib. 3. c. 2. hist. prodig. de Cane *B*lasij *M*onluci Franciæ Marschalci & *S*enarum pro Rege Gubernatoris tempore obsidij à Cæsareanis. Hic Canis, canum exercitum collegit, ad mœnia adduxit, per vigilias disposuit, suppetias constituit, revidit auxit, minuit, prout ferebat usus: desertores supplicio affecit, fideles offâ oblatâ solatus, deniq; omnia *D*ucis egregij munia complevit. Sed adhuc majora, multi contendunt; inter quos Crolius, artes à brutis ad nos descendisse. Ar-

chitecturam enim tribuunt Cochleis, Hirundinibus, Apibus. Militaris disciplinæ Magisterium tradunt, quoad excubias Damis & Gruibus, quoad modum educendi in campum, Gruibus: quoad armorum fabricam Cancris & testudinibus: quoad Monomachiam Gallis gallinaceis. Natandi artem nos debere Anseribus Anatibus, & amphibiis, Nauticam sciuris: Nendi, vermibus serivomis. Plaustrorum structuram Murmentis & Castoribus, qui instar vehiculi dorso resupini ab aliis tracti ligna devehunt: Textoriam & Venatoriam Araneis: Medicam variis. Nam Dyctamnum herbam utilem ad extrahendas è corpore nostro sagittas cervi docuerunt. Vomicæ curationem demonstrârunt Chyrurgis Capreæ sylvestres: nam dum colligitur in illis sanies ad saxa multùm sole incensa applicant, ut faciliùs maturent ulcus. Serpens oculos male affectos feniculo curandos docuit, item vulnera serpentinâ, Colubrinâ & consolidâ herbis. Valerianæ usum ad confortandum visum indicârunt Feles: Hirundines chelidoniam visui salubrem ostenderunt, quâ pullorum cæcitati medentur. Ulcerum sectionem Capri, qui dum oculis caligant ad rubi spinam affricant, ut saniem educant: ursus verò contra hebetudinem oculorum, apum aculeos admittit. Venæ apertionem equi Hungarici, qui dentibus sibi venas incidunt & sangvinem gravantem emittunt. Enematum usum habemus ab Ibice & Ardea. &c. Nihilominus Bruta non comparant media cum fine neq; eligunt. Aliàs essent rationalia & libera: habent tamen phantasiam seu potentiâ æstimativam, per quam cognoscunt utilitatem hujus medij ad finem, sed per instinctum, determinantur: & ideò sæpe meliùs operantur, quàm homo, quia meliùs instinctus illa dirigit quàm nos noster discursus: ita & plantas melius natura dirigit, quàm nos nostra ratio, item amentes, qui habent bonam phantasiam agunt sæpe admiranda. Dedit etiam DEVS brutis species, quas vocamus insensatas, id est nullo sensu perceptas, quæ bruta dirigunt. Et hinc omnia bruta ejusdem speciei eodem modo agunt, quia ita illis natura præscripsit: per artem tamen ad quædam brutorum phantasia assvescit, hoc modo ad voces certas hoc vel illud agunt, ursi saltant, canes projecta reportant: Psittaci garriunt.

8. Ordo effectum causæ finalis hic est. 1. Bonum cognoscitur. 2. Oritur simplex complacentia. 3. Amor efficax, qui dicitur intentio. 4. Vi intentionis consultatio de medijs, quæ si sunt

ſunt impoſſibilia, deſperatio, ſi poſſibilia 5. Electio. 6. Imperatur potentiis executio mediorum. 7. Conſecutio Finis. 8. Gaudium de illo ſeu fruitio.

9. Cùm intendimus finem, media primò proxima eligimus, & ad remotiora progredimur: cùm exequimur primò ponimus remotiora, tum viciniora, tandem ipſum finem; ſic primus finis intentione, ultimus executione.

De Cauſa prima.

Ita ſe nobis addixit DEVS, ut non ſolùm ubiq; ſit nobiſcum, ſed etiam omnia nobiſcum operetur.

1. Hæc cauſa prima ſive *Deus* concurrit ad omnes noſtras actiones, uti jam olim Orpheus apud Vicom. in tt 38. *Pythagoras*, Socrates, Aratus apud Euſeb. de præparat. Evang. agnovêre, & Triſmegiſtus in Aſclep. prope finem Evangelicè dixit: *Omnia ab eo, & in ipſo, & per ipſum,* & probatur ex 12. Metap. cap. 8: Ens quod eſt imperfectè & per participationem tale, fit tale per illud, quod habet totam plenitudinem eſſendi in eo genere; omnis verò *Creatura* eſt ens per participationem in eſſe operantis. *Conſervat* etiam nos Cauſa Prima. *Non* enim minus ſumus ens ab alio in facto eſſe quam in fieri. Nec ullus fuit tam impius, ut hoc negaverit: licet concurſum in agendo Pelagiani teſte Hieron. lib. 1. contra Pelag. & Manichæi teſte Capr. in 4. dip. 12. q. 1. ad 1. negarent timentes indifferentiæ creatæ. Agnovit Conſervationem & *Triſmeg.* in Aſclepio, ubi *DEVM* vocat mentem conſervatricem omnium rerum, in qua omnia vivunt atq; exiſtunt. Pulchrè Aurei oris Præſul. hom. 2. in epiſt. ad Hebr. *Non minùs* inquit, eſt *continere mundum, quàm feciſſe,* proinde ſi mundus ſe non potuit feciſſe, neq; continere ſeu conſervare ſe poteſt.

2. DEVS non lædit libertatem determinando ad individuum. Quia dat talem concurſum ad actum, cum quo ſtare poſſit omiſſio actûs: & ſic eſt cauſa potius, quòd alia actio poni nequeat, quàm quòd hæc ponatur & quòd hæc ponatur, eſt cauſa

per accidens, quia licet hanc non voluit, (si sit mala) tamen non dedit pro alia concursum. *Non* determinat DEVS ad speciem: Quia ad omnes species parat concursum. Nec est opus, ut idem sit pro amore concursus, qui pro odio, idcircò cum eo qui est pro amore, non potest voluntas elicere odium.

3. Determinatio DEI ad individuum inclinat ad bonum, sicut habitus virtuosus, sed etiam subjacet integrè voluntati, sicut habitus, & *DEVS* contrarium solùm vult permissivè, ne impediat libertatem. Voluntas autem determinat se ad speciem per positionem ipsius actûs, ad quem antea in individuo est à DEO conditionatè determinata, siquidem ad alium non accepit concursum. Pro priori autem cùm DEVS ad individuum determinat, non scit nisi possibilem actum Petri, quia nondum est ullum medium connexum cum actu, in quo ille videri possit neq; enim ad explicandum concursum admisceri debet scientia media.

De proprietatibus Corporis Physici.

De, Motu, Quiete, Loco, & Tempore.

Tanta est amicitia rerum in mundo, ut sine se esse non possint.

I. M*Otus localis, est acquisitio successiva alterius & alterius loci*: sed non ubicationis, quia hæc est una continua fluens, donec quiete interrumpatur, tum enim incipit esse alia permanens. Motus localis non potest esse instantaneus, quia eodem instanti mobile esset in pluribus locis: esset enim & in termino à quo, & in termino ad quem, sed potest moveri velociùs in infinitum.

2. Contrariis motibus localibus idem indivisibile agi non potest, ut ad diversos tendat terminos. Tales enim naturaliter habere non potest. Excipe cum Aristotele in Mechanic. quæst. prope init. (nam simul sursum fertur & deorsum, dextrorsum & sinistrorsum circulum, cùm circa axem vertitur.

3. *Intrinsecus* Locus est *Vbi*, *extrinsecus* est superficies concava corporis ambientis immobilis; quæ immobilitas non est à spatio imaginario, sed quia superficies non movetur ad motum mobilis

mobilis: quia ad hoc non eſt inſtituta nam per hoc Ariſtoteles diſtinguit vas à Loco : Hæc definitio propriè loco circumſcriptivo ſervit, qui ambit res materiales habentes partes.

4. Cœlum empyreum non eſt in loco, quia non ambitur corpore. 2. Anima in corpore non eſt in loco, quia movetur corpus cum illa, & vi illius. 3. Qui eſſet in vacuo, non eſſet in loco. 4. Punctum non eſt in loco, quia non ambitur ſuperficie. 5. Immotus ſcopulus in mari non mutat locum extrinſecum. 6. Qui it contra puppim in navi, retinet eundem locum intrinſecum. 7. Qui ſpiritu circumdaretur, non eſſet in loco.

5. Angelus non eſt in loco hoc modo definito, quia non ambitur à corpore, ſed illud penetrat, nec ſe illi commenſurat, cùm non habeat partes extra partes, idcircò eſt ſolùm definitivè; idem eſt de rebus penetratis. Quare Chriſtum Dominum in Euchariſtia S. *Th.* 1. p. q. 53. docet eſſe æquivocè in loco. Quia tamen non eſt immenſus, eſt alicubi aër, ubi ille non eſt: idcirco eſt aliquomodo in loco: *DEVS* verò immenſus nullo modo eſt in loco. Accidentia etiam non ambiuntur à ſuperficie, ſed penetrantur.

6. Spatia imaginaria opponuntur loco reali, qui non verè ambiunt; nec verè ſunt Ens, finguntur enim quaſi ab æterno, increata, indeſtruibilia : nec ſunt negatio, quid enim negant? ſi Ens reale, Ergo illo poſito pereunt, atqu adhuc imaginari ſpatia poſſumus : non ſunt immenſitas *DEI*, quia DEVS non eſt quid imaginarium.

7. DEVS non coëxiſtit ſpatiis imaginariis, quia nihil ſunt, nec eſt formaliter in illis independenter ab intellectu, quia illa non ſunt, niſi fingantur. Eſt tamen materialiter & Metaphoricè, quia eſt ubiq; neque creato mundo altero, inciperet in eo eſſe. Etiam in nihilo eſt DEVS, ſed materialiter inadæquatè, quia nihil non eſt. Quia eſſe formaliter in aliquo dicit eſſe & illud, & hoc. Hoc modo etiam ab æterno fuit in tempore imaginario; hoc eſt ita æternus, immenſus, ut ſit ibi, ubi Aliquid eſſe poteſt. Spatium imaginatium tantum tunc eſt, per modum Entis, quando fingitur : per modum nihili ſemper : & quia infinitum imaginari non poſſumus, non dantur Infinita ſpatia imaginaria : *DEVS* in ſe ipſo eſt ut in aliquo ſe comprehendente ambiente ſeu loco extrinſeco. In Chimæra *DEVS* non eſt: quia Chimæra ex parte objecti dicit Ens & nihil; dicit enim contradictoria.

8. Vacu-

8. *Vacuum est superficies nullo corpore repleta*: talis divinitùs dari potest. *Potest* enim sola conservari & corpus intra illam annihilari; viribus naturæ non potest, Quia nemo potest auferre corpus, quin aliud succedat; nam nectuntur secum, ut influxus cœlorum percipiant, qui sunt veluti spiritus vitales rerum, non verò quia res contiguæ se conservant; nam si ex fistula eximas lignum, sequetur metu vacui ignis, qui tamen illud non conservat. Vas repletum cineribus multum adhuc capit aquæ, partim quia cineres siccitate suâ aquam in exhalationem absumunt, unde assurgit vapor; partim, quia aquæ affusione densantur, partim quia aërem sibi commixtum excludunt. In periculo vacui ille corpora sursum trahit, qui prima subtrahit, unde qui appositâ fistulâ Mercurio utrinq; apertâ extrahit aërem, sentiet Mercurium trahentis pondus: idem & rumpit vasa. Sed non metu vacui imposita creta dimidio sui in aquam, aut panis in vinum, etiam in alteram sui partem attrahit liquorem.

9. Motus in vacuo non esset in instanti. Nam tarditas motûs oritur vel quia corpus quod impellitur resistit impulsui, hinc quò major impulsus, velociùs lapis fertur, quia minùs ei resistit; minimo autem impulsu non movetur: *vel* à medio, quod cum difficultate penetratur, unde sub aqua difficulter lapis projicitur, in vacuo facillimè, in quo cessat hæc resistentia: *vel* deniq; ex impulsu, qui non est infinitæ virtutis. Deinde si instantaneè in vacuo moveretur, in pluribus locis simul esset. *Dum* verò Aristoteles contrarium loquitur, id facit non ex sua mente, uti eum S. Thom. & Scotus apud Maurum explicant.

10. In vacuo non avelleret se corpus ab alio, si illud attingeret; idcircò manu nemo posset lapidem dimittere. Sed Angelus se posset movere pro libitu. Animal in eo vivere non posset defectu respirij, volare non posset, cùm aër portet volucres. Neque videre hominem in vacuo posset, neque loquentem audire:

11. Vacuum nihil est, tamen plurima commoda præstat mortalibus metus illius: sic non soli homines umbram metuunt, metuit & rerum natura id quod non est. Vasa Hortulanorum digitis supernè clausa fundo cribri instar foraminosa, aquam ad locum constitutum deferunt, quâ fortè etiam industriâ rudibus adhuc Romanis illusit *Vestalis* quæ aquam è Tiberi cribro hausit. Hinc clepsydra fieri non potest aquea quæ parte aliquâ non admittat aërem. Hinc faber si concluserit ostiolum follium nullâ

vi fol-

vi folles diducet. Hoc metu hydragogi per anthlias aquam promovent contra naturam cum natura in altum. Hoc periculo Lampades turritæ servant oleum & non nisi juxta demensum fomiti impertiuntur, Cucurbitæ chirurgicæ, dum metuunt vacuum implentur sangvine: Oenopolarum siphones educto aëre vinum propinant, alij verò trusillo educto aquam sorbent. Inflexa fistula cujus altera pars longior extra vas propendeat ubi exsuxeris aërem, totam vasis effundet aquam, & te etiam absente opus à te inchoatum continuabit. Hoc modo sacrificulorum nequitia miseris Gentilibus illudebat, dum DEOS suos ex sorbere appositos meri crateres, portas victimâ inflammatâ reserare, è tholo accensis facibus vina promere & multa alia rudi illi ætati prodigiosa, persvaderent, uti videre apud Hieronem in spirit. & non est difficile factu.

12. Tempus supra motum solùm addit numerabilitatem secundùm prius & posterius, quæ per rationem ab eo distinguitur, ut 4. Physic. tt. 44. & prout hanc dicit, reproduci non potest, licet in se absolutè possit.

13. Effectus motionis est quædam qualitas, quæ dicitur *Impulsus* aut *Impetus*, estquè *aliquid extrinsecùs adveniens mobili productivum motûs præternaturalis*, Dari verò hanc qualitatem certum est. Neq; enim lapidem sursum defert forma illius, sed neq; aër, quia ipse aër deberet magis ferire, quàm lapis, imò sæpè aër in contrariam partem lapidi jacto fertur. Præterea cùm duæ sagittæ eodem arcu dimittuntur, una ordinaria, altera ex levi arundine, quæ levior deberet magis ab aëre impelli, cùm tamen contrarium experientia evincat. Ita Arist. in quæst. Mechan. q. 32. & 33. clarè asserit, atque nomen *momenti* imponit. Impulsionis proprietates sunt. 1. Non habere contrarium destructivum sui, quod ipsum in luce, sono, & aliis evenit. 2. Esse indifferentem ad quemvis terminum sive sursum, sive deorsum & ad hoc ab extrinseco facilè determinabilem, sicut potentia loco motiva in animali ab eodem determinatur. Hinc facilè reflectitur, refringitur, lævorsum, dextrorsum, dirigitur: determinat autem illum aut manus projicientis, aut aliquod in viâ occurrens impedimentum, in quo tamen easu multum de viribus aut de rectitudine amittit, ut certum est venatoribus, qui dum in feram aut aviculam explosionem parant, advertunt, ne vel foliolum interveniat; experti enim sunt vel hoc exiguo obstaculo globi ictum

bi ictum à viâ deduci. In quo tamen errore servat leges incidentiæ: ad æquales enim angulos reflectitur, uti hoc evidenter in projectis conspicitur, in quibus vis pulsoria, prout impegit in corpus, ita etiam reflectit, scilicet angulis iisdem. Proinde non dubium, quin instar instar lucis in unum punctum speculo cavo ustorio colligi posset, dummodo speculum daretur ejusmodi, quod impulsui non cederet. 3. Non statim perire dum incidit in robustius subjectum, vel aliquamdiu luctari cum eo, quod loco movere non potest: sic percussum v. g. mortarium sat diu tremit, quem tremorem, qui signum est impulsûs permanentis, oculis advertere poteris & manibus: his quidem apprehendendo mortarium, senties tremorem: illis verò si folium orichalcinum aut aliquid paris levitatis superposueris, conspicies agitari. 4. A majori motu produci majorem impulsum. Quod adeò certum est, ut interea, quæ cum experientia quotidiana accepimus meritò referri possit. 5. Per magnam continui, imò contigui partem propagari: nam quando minis seu cuniculis contra obsessos agitur, solet: ille impulsus laborantium subtùs adverti. Si enim in vicino musica instrumenta appenderis, resonabunt: si pelvim aquâ repletam humi collocaris, ad singulos ligonum, palarumquè impulsus trepidabit: si pisum tympano injeceris, subsiliet. Sic hostem eminus advenientem admotâ humo noctu auriculâ explorare solent: sic deniq. per trabem longam in altero extemorum leviter impulsam propagatum usq; ad alterum extremum advertes impetum applicatâ trabi aure. Hâc impulsus cognitâ indole simulq; vocis cum illo inseparabili amicitia mira subinde enata artificia, ut ductis latenter tubis calvariæ loqui, articulatas statua voces effundere, certas proferre sententias imagines viderentur, rudesq; artis fallerent. 6. Impulsus tamen unus habet alium contrarium & subcontrarium. Illi enim sunt contrarii impulsus, qui secundum rectam lineam opponuntur: subcontrarii, qui ab hâc deviant. 7. Posse intendi, si enim aliquid labens deorsum insuper à manu impellatur, acceleratur ejus descensus, propter augmentum scilicet impulsûs. 8. Ferri rectâ lineâ nisi ab aliquo impediatur, in quo principio omnes machinæ bellicæ fundantur, catapultæ, balistæ, baleares, tormenta, & quidquid est quod in certum dist ringitur scopum. 9. Posse inesse subjecto sine suo effectu, sine motu scilicet, siquidem ad effectum non solùm entitas illius, sed subjecti mobilitas debet

concur-

concurrere: hinc si impellas columnam saxeam nihil profeceris, estò in illam impulsionem impactione brachii aut vectis impresseris. 10, Successivè & per decrementa corrumpi, propter quod projecta fracto impetu non statim perpendiculariter decidunt, sed lineam quandam inclinatam describunt. Cujus observatione inventa est ars injiciendi munimentis globos metallinos pulvere pýrio saturatos, vulgò vocant granatas, atq; in certum ejaculandi locum quibus inclusus impetus ex accenso enatus pulvere in eas discerpit globum partes, quas illi debilior textura designat, & illis abreptis certam perniciem ædificiis mortalibusq; partitur.

14. Impulsus modificatur & determinaturnon solùm quando est in fieri, scilicet cùm primùm lapidem projicio, sed etiam in facto esse, cùm nimirum res projecta est in suo cursu: Hinc si in parietem impingat res projecta eodem impulsu retrorsum referetur, ex quo fit, ut quò alliditur violentiùs, eò resultu fortiore regrediatur: quo naturæ ingenio quidam abusus observato angulo reflexionis, de quo Bettinus apiar. *Dum vellet hostem tollere*, jussit plures in objectum scutum plumbeas explodere sphærulas, quo artificio effecit, ut omnes in unum ferè punctum quod in corpore hostili designavit, relaberentur: quâ etiam arte potest quis tangere metam, quam non videt, & quæ post parietem sibi objectum latet. dummodò in id punctum jaculetur, in quo si posuerit speculum metam possit conspicere.

15. Quæ durite carent, in illis impulsus vim suam dissipat: Hinc plumam projicere difficile. Sed licet ut duritiem habeat, requiritur insuper ut partes firmas contineat, & hoc est, quod vulgò dicitur: *Impulsum debere esse proportionatum impulso*. Debet enim inprimis superare gravitatem impulsi, ut motum producat in eo, sed non nimis excedere, ita ut vel partes impulsi in se reflectantur, dum medium obtemperando impulsui perrumpere nequeunt, uti fit, cùm quis aciculam grandi malleo inquernum asserem conatur impellere: superare enim impulsus debet suum subjectum, sed non dissipare aut distorquere: si enim inflexerit, cùm per illud propagetur, etiam ipse à subjecto in obliquum determinabitur. Cùm in arundineam sagittam chorda tensissimi impingit arcûs, statim veluti illam absorbet, condensat insuper aërem, ita ut penetrare non possit tantâ velocitate, cùm ordinariè sit obtusa, & cùm sit flexilis, in partem recedendo impulsum depravat: quod idem eveniret, si etiam gravi sagittæ orbiculum

transver-

tranſverſum imponeres, tum enim etiam in partem rediret: graviora facilius procedunt, quia minùs flectuntur communiter, & quia acumine permeant aërem: quando verò arundini materiæ gravioris fruſtum agglutinatur obtuſum, tum in illud per ſagittam tranſit impulſus, & illud ſecum tanquam principale rapit ſagittam: quia impulſus in ſolidiore amat eſſe fortior, ut & cæteræ qualitates. Inſuper quia impulſus determinabilis eſt: leve autem vel motu aëris vel aliquo parvo impulſu deviat, quò fit, ut impulſus conſtanter nequeat procedere. Deniq; ut Philoſophus docet in Mechanicis, *Quod projicitur, debet aliquomodo impulſui contraniti*, idcircò nimis leve, cùm vix contranitatur, ineptum projectioni, ſicut & nimis grave, cùm nimium reſiſtat.

16. Subjectum impulſûs, ut regulariter promoveatur, debet eſſe æquabile quoad gravitatem, ne partes ejus aliquæ ſint leviores, aliæ graviores. Cùm enim centrum gravitatis corporis impulſi debeat ferri per lineam rectam, facilè tale corpus impulſum invertit partes, ac centrum gravitatis mutat lineam, ac aliò versùs impulſum determinat. Nam centrum mobilis impellitur, quod non coincidit cum centro gravitatis quod in partem avocat impulſum. Impulſus in rectâ lineâ fertur, nec ſe contiguis corporibus extra rectam poſitis communicat. Nam ſuperpone vitro aſſerculum, aſſerculo verò nummum alicujus ponderis, ne vento auferatur, percute aſſerculum, ſolus effluet: nummus in vitrum ſubjectum incidet.

17. Impulſus eſt aliquid omnis corporis penetrativum: applicet enim quiſpiam immediatè caput parieti ligneo aut trabi, & adverſam partem parietis aliquis valido ictu feriat, recipiet applicans ictum gravem: Idem eveniet, ſi per ferrum aut aliud corpus impulſus fiat, quòd verò magis in capite ictum experturus, quàm ſi manum applicaret, ex eo fit, quia manus mollior impulſum diſſipat, & præterea ſubjectum debet impulſui proportionari, palmus verò graviori illi impulſui non eſt proportionatum ſubjectum. Penetrat & mollia corpora impetus, ſed in illis diſſipatur, audimus enim ſonum injecti lapilli in vas fictile aquâ repletum, itaq; & individuus ejus comes impulſus aquam permeavit, ſed multum attenuatus.

18. Subjectum impulſûs debet eſſe indiſſipabile: quia & ipſe diſſipatur, dum in molle impingit, quia in partes varias determinatur, & diſpergitur atq; adeò perit. Impulſus per totum conti-

continuum, in quod impingit, diffunditur, testantur id rostra Ecclesiastica, è quibus dum sacer orator perorat: ejus impulsus, vocis fidus comes, totum aërem impellit: Hinc etiam vox in quâvis parte percipi potest: explosionem etiam tormenti plurimi audiunt, & si non eodem consistant loco: Hinc si corpus ejus subjectum colligatur, & ipse collectior evadit, quâ de causâ collectus tubo sclopi bellici impulsus igneus ad tantam vehementiam deducitur.

19. Impulsus certam habet diffusionis sphætam: neque enim in infinitum diffunditur, in quo cum cæteris qualitatibus, quæ per medium diffunduntur, bene colludit: omnium enim ingenium est sensim sine sensu deficere, sive uniformiter difformiter decrescere.

20. Impulsus plures diversos idem corpus recipere potest. Sint enim duo globuli qualium usus est in ludo tabulæ, ferantur in eandem partem, ita ut itinera centrorum lineas ad se faciant inclinatas, si quando concurrant, tunc neuter fertur, tam lineâ, quâ cæperunt, primâ, quàm lineâ, ad quam alter impulerat, sed medio quodam inter has duas lineas itinere perget: quod ex eâ causâ contingit: quia per collisionem globulorum novus impulsus enascitur, qui alia inclinat incedere viâ, quàm eâ, quâ prior ferebatur impetus in globis subjectatus: sic globuli pacti veluti fœdus, novam ineunt viam, ut nec illi liceat totum, neque isti. Impulsus non alterat suum subjectum, cui inest: hoc enim solùm corruptivis qualitatibus competit, quæ cum adversariis decertant. neq; tamen ideò ab intrinseco dicendum est moveri, quod ab impulsu movetur, siquidem motu violento omne tale rapitur. Nam licet recipiatur in subjecto impetus, non est tamen connaturalis illi, & contra aut præter, aut ultra inclinationem ejus imprimitur.

21. Impulsum reddere perpetuum artificialiter vires humani ingenij excedit. Impulsus enim talis vel esset sursum vel deorsū, vel juxta systolē,& diastolē vel circularis: plures enim modi variandi illius non suppetunt: sursum autē aut deorsum perpetuitas haberi non potest, cùm via nulla in infinitum corpori cuiquam pateat: systoles etiam ac diastoles impulsus artificialis solet ab aliquibus fieri oneribus, quæ industriè librata illum producunt: hæc verò libratio semper est cum descensu, quem tamen constat non posse fieri perennem. Vel certè hic motus systoles & diastoles

deberet ab aliquibus corporibus produci, quæ alternatim se intenderent: sed neq; hoc rerum natura patitur, cùm idem seipso intensius esse non possit: sed etiam alteri collatum vel tensius illo erit, & sic penes unum stabit victoria: vel æqualium dabitur virium, & sic loco motûs quies mera invenietur. *Circularis* motus deniq; esse non potest, quia debebit causari vel ab aliquo descendente deorsum, vel ab aliquo ex intensione se ad statum connaturalem reducente: sed neutrum horum perpetuitatem referre potest. Sed neq; ope ignis ista æternitas creari potest. Nam ignem perpetuum per artem fieri non posse censemus. Omnis enim extra sphæram propriam positus ignis debet alimento nutriri, itaq; illud absumet: quodsi verò putes alimentum resolutum in fumum posse rursus relabi, ac ad nutriendum ignem statum idoneum recuperare, hoc deberet fieri in clauso undiq; vase: & jam suffocâsti ignem. Et ipse naturalis *Magiæ Professor* Porta lib. 12. cap. 13. ubi refert historias ignis perpetui, Romæ in Vestæ Deæ, Athenis in *Minervæ* templo, Delphis in Apollinis: addit, vocatos perpetuos, quia illis à sacrificulis perpetuò alimentum adjiceretur. Vestales enim Romæ curam nutriendæ habuerunt flammæ, ut est apud Plut in Numa. *Delphis* viduæ: alibi alii. Cùm verò narrat Vives ad 21. civit. 6. Lucernam per 1500 annos accensam luxisse in sepulchro Tulliolæ, id est ad Pauli III tempora; & aliam *R*uscellius ad symb. Alp. Avali, & Porta Ateste in agro Patavino urnam fictilem intra quam lampas ardebat, sed per imprudentiam fossorum effusam & extinctam: & idem anno 1550 in Neside Insula in agro Neapolitano repertam intra sphæram vitream in sepulchro cujusdam *Romani*: dicimus fuisse aliquem lucentem in tenebris humorem: nam lucem in pinguedine salmonum certo tempore putrefactâ spectavimus: aut potiùs mixturam quandam, quæ licet quamdiu clausa lateat, sit absq; flamma, ubi tamen aërem hausit, flammam concipit: qualis esset hæc compositio: Lythargyrum, Tartarum, calx & cinnabaris in aceto decocta, ut acetum penitùs evaporet: inde operto & lutato vase vehementi igne excoctum residuum permittatur refrigescere: hanc mixturam ubi reserare volueris, prout probatum est, flammam eructabit. Quæ omnia confirmat id, quod cùm ejusmodi lucernæ describuntur, nunquam fiat lychnorum mentio. Vel deniq; fraude quorundam est factum, quibus cordi gloriam ex admirandis à se repertis quærere, defossa recenter

lampas

lampas & velut casu à ſæculis deliteſcens eruta, qualium ſtropharum aliquot exempla refert Nieremberg. de Orig. ſcript. Crediderunt aliqui hunc liquorem verâ arſiſſe flammâ & fuiſſe oleum alicujus metalli, ſed nullius metalli oleum ardet: alij oleum juniperi, ſed hoc citiùs reliquis oleis abſumitur: alii oleum amianthi, ſed ex illo nullum oleum poteſt extrahi, cùm ſolùm ex his juxta Chymicos poſſit educi, quæ ardorem recipiunt.

22. Impulſa corpora dum alliduntur alicui obſtaculo, quantum eſt ex naturâ reflexionis, non eſt neceſſe, ut in puncto reflexionis quieſcant. Cur enim, ubi deſinit incidentia, non poſſit reflexio incipere: motus enim continui morulas non habent: idcircò hi motus ſolùm extrinſecè deſignant in tempore primum & ultimum. Vel ſi ſunt contrarii, nihilominus contigui eſſe poſſunt, & ita quietem excludent. Corpus autem obſiſtens eſt mera determinativa conditio: quia eſt quid immotum, omne verò quod producit impulſum debet moveri. Motus, in quo reflexio invenitur, quadrupliciter à ſe haberi poteſt. 1. Vt uterq; ab intrinſeco proveniat principio, qualis eſt ſyſtoles & Diaſtoles in corde & arteriis. 2. Vt ab extrinſeco proveniat quàm directus, tam reflexus, qualis eſt in alliſione pilæ ad parietem. 3. Vt directus ab intrinſeco, reflexus ab extrinſeco, qualiter evenire poteſt, ſi lapis in manum meam cadat, & ego illum repercutiam. 4. Vt directus ſit ab extrinſeco, reflexus ab intrinſeco, ut cùm lapis ſurſum projicitur.

23. Ordinariè tamen fit quies in puncto reflexionis ob ceſſile agens vel paſſum: ob agens quidem poſtquam pilæ prima quaſi ſuperficies in murum impegit, reliquæ ad illum aliquantum appropinquant, quia ſe poſſunt comprimere, & ſic prior pars aliquamdiu muro conjuncta manet: ob ceſſile autem paſſum, quando cedenti paſſo nonnihil inhæret agens, & manet conjunctum, quo tamen caſu non quieſcit propriè. Si in corpore illo in quod incidit impulſum, aliquid producit neceſſariò debet quieſcere, ſi corpus illud ſit durum neq; ceſſile: nam ſi per illum contactum aliquid producitur, debet exiſtere ille contactus, itaq; debet exiſtere in tempore, cùm non dentur inſtantia Zenoniſtica. Hinc jam conſectarias concluſiones causâ commodioris expoſitionis in modum quæſtiuncularum proponamus.

1. Quare navis ceſſante impulſu remigum adhuc aliquo uſq; provehitur? Quia omnis motus producit impulſum, qui

 non

non ſtatim evaneſcit, navis verò movebatur: idcirco reliquit impulſum, quo adhuc agitur. 2. Quare quædam impulſu rareſiunt? non vi caloris, nam gladius in orbem inflexus extimam ſuperficiem majorem habet quàm intimam; illa enim eſt continens, itaq; rareſit exterior, idem fit in arcu tenſo, ubi tamen deeſt calor: ſed quia etiam motus eſt inter cauſas rarefacientes, qui comprimit partes, alias diducit, adeò ut ſi duraverit preſſio, etiam compages partium ſolvatur ſubinde. 3. Quare baculus foramini impoſitus, ſi flexeris, frangitur, & quò longior, eò faciliùs? Fractio non fit, niſi partes diducantur eo uſq., donec illarum nexus rumpatur: itaq; cùm ibi frangantur, facilior ibi fit partium diductio. Baculus totus violentiam patitur, ſed majorem, quò propior pars fulcro, ita ut fiat quidem in loco manûs aliqua relaxatio partium, ſed creſcat proportionatè uſq; ad foramen, in quo major partium diſtractio, quia angulus acutior, acutior verò magis diſtrahit partes extimas. 4. Quare ex fundâ acriùs ferit lapis miſſus? Quia major impulſus: major verò impulſus, quia plus ex motu: hinc etiam auctior fiet impetus, ſi funda aliquoties circumducta motum auxerit. 5. Quare è longioribus fiſtulis globi remotius jaciuntur? Quia maior motus. Nam pulvis non totus in brevi fiſtula exuritur, pars ejus in terram decidit, in longiore totus, idcirco rarefactionis motus majus ſpatium implet. 6. Quomodo cœli moventur circa polos ijs immotis, nam videtur ſequi, quòd ejuſdem rei ſolidæ pars poſſit moveri non inflexâ & immotâ aliâ? eadem eſt difficultas de quovis globo, dum ſupra ſuum axem movetur. Nihil ibi immobile, totus globus movetur. 7. Quare globus plumbeus fiſtulâ militari emiſſus ita ſubinde calefit, ut in ſuo curſu liqueſcat? non ab igne pyrio, Nam idem evenit in ſagittâ cum plumbeo ſpiculo arcu tenſiſſimo dimiſſâ. Ex attritione aëris itaq; & ſagittæ, nam quorumvis corporum attritio poteſt excitare ignem, & citiùs velocior. 8. Quare qui foſſam tranſilire volunt, ab illa recedunt? Quia quò major motus, majorem impulſum producit, motum itaque majorem faciunt, ut impulſu majore per foſſam deferantur. 9. Quare levia impacta non reſiliunt? Quia levibus impulſus magnus nequit imprimi. Gravia etiam multùm non reſiliunt, quia vincunt impetum. 10. Quomodo aliqui pectori ſuperponunt incudem & malleorum ictus ſupra illam illabentium vix ſentiunt? Quia impulſus etſi producitur, non ſemper

per movet corpus, quod impellit: sed si adhiberentur grandiores mallei, jam, qui incudi subjacet perciperet pulsus malleorum: quia incus ab eorum majori impulsu moveretur.

11. Quare lapis gravis leviter impositus humero non vulnerat, uti si ex alto caderet, etsi utroq; casu retineat suam gravitatem? Quia gravitas non producit impetum, nisi per motum, motus autem valdè lenis lenissimum impetum producit, lenis impetus leniter impellit lapidem. 12. Quare gravius corpus ex alto decidens magis vulnerat, quàm levius? non tantum id evenit propter gravitatem sed etiam propter impulsum majorem: impulsus autem major in corpore graviore producitur, quia motu velociore fertur, nam non æquali velocitate omnia gravia descendunt: motus velocior majorem producit impetum. 13. Quare si baculum sensim adducas, flectere possis. si subitò inclines, fregeris? subita inclinatio continet impulsum, qui moram non dat, donec partes baculi aliquæ rarefiant, aliquæ densentur, sed subitò abrumpit vincula: lenis autem inflexio spatium tali rarefactioni concedit. Hinc etiam viscida non franguntur, quia partes rarefieri possunt facilè. 14. Quare gladius majora infert vulnera extremitate, quàm prope capulum? quia major eo loci impulsus, major enim motus: nam majorem circulum describit extremitas gladij, quàm manubrium. 15. Quare projecta violenter in altum suo descensu & ascensu describant parabolam? Nam duplici motu feruntur, quæ obliquè sursum projiciuntur, nempe à gravitate & impulsu, impulsus quidem conatur rectâ lineâ rem projectam deferre, gravitas eum à rectitudine retrahit & deorsum inclinat, cùm autem gravitas superavit, tunc deorsum ferri incipit globus: habet tamen resistentiam à reliquo quamvis debiliori impulsu, ne rectâ deorsum labatur, & hinc suo lapsu describit arcum. 16. Quare aqua è canalibus domorum defluens arcum describit? quia labendo per canalem collegit impetum per illam directionem currendi, qui impetus non statim à gravitate tendente rectâ deorsum superari potest: hinc aqua debet arcuatim delabi. 17. Quare dum quis manu projecturus vibrat lapidem, si interim lapis excidat, feratur irregulariter? quia confusum impetum, & in unam certam partem non satis determinatum recepit. 18. An ramus violenter detentus, dum se, liber factus, ad rectitudinem reducit, per impulsum reducat? non, sed rarefactæ partes redeunt ad statum suum & sensim motu pro-

ducto in ramo, etiam jmpetum producunt: ſed initium motûs non eſt ab impetu. Quod idem de gladio inflexo, de chartâ convolutâ. 19. An lapis, dum gravitat, impulſum producat? non: quia gravitatio ab intrinſeco, impulſus ab extrinſeco, neq. ſine motu provenit: lapis ergo per intrinſecam gravitatem gravitat & gravitatione provectus motum producit, qui jam eſt quid illi extrinſecum, nequè enim ad conſtitutionem illius ſpectat, hic motus producit impulſum, & ſic impulſus provenit ab extrinſeco. 20. Quare ſagitta arundinea arcu fortiſſimo ejecta non tendit ad metam? Quia impulſus debet habere ſubjectum proportionatum, ut in illo motum producat regularem.

21. Quare ſi per aquam, vel aërem percutiat, vel etiam per pulvillum aliquis, non percipiatur percuſſio? Quia medium eſt diſſipabile: è contra ſi per aſſerem vel trabem immediatè fiat percuſſio, percipietur dolor quia medium eſt firmum, ac ſibi cohærens atq; contiguum. 22. An lapide projecto ſurſum gravitas impulſum deſtruat? Non quia illi non eſt oppoſita, ſed tantùm illius determinativa, ſed ipſemet deficit, quo deficiente gravitas ſuſtineri non poteſt: impulſus verò ex ſe indifferens tam ſurſum, quàm deorſum procedere. 23 Quare ſi globo ligneo, quo utuntur in luſu pyramidum, ex parte infuderis plumbum, reddes inutilem: ſemper enim à linea projectionis aberrabit? Quia ad impulſum regularem requiritur, ut partes corporis ſint ejuſdem gravitatis 24. Quare ſi calculum digito fortiter appreſſeris ad menſam, dum illi contiguum alterum immediatè applicueris, percuſſo priore neq; loco dimiſſo, alter impulſu auferetur? Quia etiam per immota corpora propagat ſe impulſus. 25. Quare plumbei globi non adhibentur ad majora tormenta? Quia propter velocitatem motûs liqueſcerent: quod enim attritio cum ſucceſſione majori facit, ut ſcilicet ignem inducat, hoc rapidiſſimus motus velociſſimè peragit: longe autem velocior motus in grandioribus machinis, cùm major impetus. 26. An ſi impulſum non diſſiparet globus cereus & cæteris paribus ejiceretur ex tormento militari æquè profunde murum penetraret atquè ferreus? Ita. Quia hoc ipſum evenit in lingulâ ligneâ, quam ſurſum pueri flagellis jaciunt, eſtq; leviſſima, ut flatu oris ex menſa dejici poſſit, nihilominùs ubi ex alto delabitur, aſſeres duriſſimos profundè ſubintrat. 27. Quare motus naturalis velocior in fine? Quia nihil illi obſiſtit, ſemper verò cum motu

impulſus

impulſus creſcit. In violento verò motu medium eſt vehementius: Quia impetus motu auctior factus & nondum gravitas prævaluit, in fine verò deficit: nam primò impreſſus impetus evanuit, per motum verò acquiſitus non eſt adeò multus. 28. Quare globus perpendiculariter impactus muro vehementius illum ferit? Quia directè centrum gravitatis illi incidit, in obliquo verò illapſu centrum non incidit in locum tactum, proinde maxima pars gravitatis aliò ſpectat, atq; eſt converſa. 29. Quare ſi in uno fine alicujus ambulacri claudatur vehementiùs janua, in altero feneſtræ contremiſcunt? Quia impetus per ſolidum corpus etiam longiſſimo tractu diffunditur. 30. Quare meliùs exauditurí rem ſonantem auri admovemus v. g. cultrum percuſſum? Quia impulſus vector ſoni per ſolida diffunditur, in vicino molli deficit.

31. Quare ſemel accepto impulſu tremit aliquamdiu campana? Impulſus jam determinat gravitatem, jam ab illa determinatur, neq; illam deſerit, tanquam proprium ſubjectum: hinc alternè victus victorq;, donec tandem impulſus debelletur, qui à nullo motu ſuppetias accipit: tremor ergo ille eſt parvula abitio & reditio ab eodem in eundem locum: Hinc ſi campana retineatur fixa, ceſſat tremor, quia abitio impeditur. 32. Quare currus in declivitate montis non conſiſtit, ſed delabitur cum impetu? Quia rota ut conſiſtat, debet ita locari, ut ex ejus axe demiſſa perpendicularis terræ inſiſtat, cùm verò in declivi montis currus collocatur, hæc perpendicularis aëri non terræ incumbit, proinde ſe promovet, ut inſiſtat terræ, atq; cùm hoc non aſſequitur, motu repetito in ſe producit impulſum: qui tandem currum cum tanto impetu deorſum defert. 33. An ſi terra perfoderetur per centrum, lapiſq; demitteretur per illum hiatum, ſtatim ubi centrum attingeret, quieſceret? non. id manifeſtè patet in perpendiculo agitato, quod in altum facit vibrationes, quia impetum ex motu concipit, quo violentè abripitur: idem ergo in illo lapide eveniret, conciperet enim impetum, quo violentè ultra centrum ſubſultaret atq; libraretur. Quodſi lapis in centro pacatè poneretur, procul dubio quiete gauderet. 34. Quare faciliùs haſta in directum jacta procedit, quàm lateraliter miſſa? Quia figura juvat impulſum;, faciliùs enim acumine aërem perrumpit haſta, quia pauciores ejus partes impetit, quàm ubi ſe totâ in latus projectâ tot partibus aëris obſiſtentibus ingruit. 35.

Quomodo magnes in ferro oblongo (nam alterâ parte ferrum repellit, alterâ trahit) producit ipse immotus impulsum? non producit impulsum, sed per qualitatem occultam, sicut attrahit, ita & removet. 36. Quare in urbibus, dum per plateas onustus trahitur currus, fenestræ ædium solidarum contremiscunt? Impetus per terram ac parietes propagatur, quæ quia invenit nimis fixa, in iis, caret suo effectu; tandem verò in mobiles illapsus fenestras opus suum peragit concussionemq; inducit. 37. Quare aperiuntur fenestræ in urbibus, dum tormenta exploduntur? Ne frangantur, quia aër concepto impetu vehementer agitatur, ac ubi in fragiles fenestras incurrit, eas lacerat, dum verò sunt apertæ, liberè elabitur, & spontè cedentibus parcit. 38. Quare, si domus sit extra urbem sola, curru gravissimo transeunte fenestrarum non sequatur concussio? ex duplici causa id provenit. Tum quia humus non est strata lapide, in molli autem impetus dissipatur: tum quia non colligitur impulsus, sicut inter domos. 39. Quomodo acetum producat impulsum in lapide trochite, & asterite, dum fuerint impositi supra porphyreticum politum etiam ipsi lævigati, si enim aliquid limonis succi, aut aceti affundatur, nullo impellente ad decliviora descendent? Sed idem evenit in quocunq; lapide venis partibusq; distincto. Lapides hujusmodi in venarum tractibus habent tenue humidum, quod dum acetum constringit, aliquid aëris adducit, qui prout ingreditur, ita lapidem promovet, nunc circulatim, nunc subsultim, nunc lentè, nunc festinanter. 40. Quare hastæ longiores, jactæ magis perforant? Quia dum feruntur, totum pondus in unum quasi punctum perpendiculariter incumbit.

41. Quare scirpus, non habet nodum? ex impulsu id oritur. Nodus ibi fit, ubi alimentum, sistitur: quod dum morâ densatur, in partem deviat quod sequitur ramumq; producit. Scirpus cum impetu quodam sursum rapit alimentum, ut ei moram non indulgeat quod tandem in gibbum grandiusculum in vertice colligit. 42. Quare in magno frigore scandulæ ejiciunt cum impetu claves? Quidquid in illo asserculo humidi, frigore contrahitur ac densatur: unde alias partes necesse constringi, quæ dum colliguntur, impetum dant clavo, ac illum ejiciunt. 44. Quare major dolor excitatur, si pugno quis percutiatur, quàm si æqualis ponderis molem leniter imposueris? Facit velocitas impulsûs, quæ partes in corpore percusso citiùs ac simul

disgregat:

disgregat: leniter verò pondus impositum cum majori successione: dolor verò oritur ex partium dissipatione: quæ simul facta majorem sensum excitat & simultaneum. 44. Quare faciliùs impelluntur, quæ sunt in motu: facilius enim impellere navim, dum progreditur, quàm dum constitit? Quia, quæ moventur, jam habent aliquid impulsûs, & non sunt affixa loco, á quo revelli debeant. 45. Quare faciliùs lignum ad genu frangimus, quo magis à genu manus removerimus? Quia in majori circulo major motus, major impulsus. 46. Quare longissima hasta difficilè portatur, per medium sustentata, cùm paris ponderis brevior, facilè? Quia dum portatur, extrema vibrantur, ac motum in circulo grandi describunt, cujus centrum humerus: motu verò descripto concipiunt impetum ac impetus raptat humerum. 47. Quare tormenta bellica, ut magis noceant, ad mediocrem distantiam removeri debent à meta? Quia violentorum motus in medio vehementior. 48. Quare plaustra onerata dum hæserunt, ut faciliùs promoveantur, retrahuntur? Ob eandem causam, ob quam, qui fossas transilire parant, retrocedunt. 49. Quare tormentum bellicum antequam emittat pilam, retrocedat? magis retrocedit, inquit Cardanus, si foramen accensorium non sit in ipsâ extremitate, pars itaq; pulveris, quæ est retrò incensionem, in aversam partem impellit. 50. Quare pila sclopi major minùs quidem penetrat, quam minor, sed magis quatit? Idem est, si quis pungat gladio cataphractum & sude feriat? Quia in globo majori impulsus receptus in plures partes oppositi corporis impingit, quæ cùm multæ sint, eas penetrare non potest, quia tamen multo impulsu vehitur, vehementer easdem concutit, globus minor cum paucioribus partibus habet negotium.

51. Quare tormenti bellici decrescit ejectio si infra 45. gradum deprimatur vel supra attollatur? Projectio globi sursum perpendicularis est brevissima, quia directè pondus globi impulsui adversatur jam determinato sursum (impulsui enim indeterminato grave non opponitur) similiter si globus ad paralellam horizonti explodatur brevissima ejectio, ut docet constans experientia, quia pulvis impulsum, quem imprimit naturâ suâ sursum promovet, quod vel ex eo patet, si plusculum pulveris fistulæ injeceris, supra scopum globus ascendet. Hinc etiam si deorsum explodatur machina modicas habet vires: quantò itaq; ab

his vitiis duobus liberior impulsus, tantò generosior, dum verò tormentum ad gradum 45. est elevatum, in medio planè inter hæc vitia globus progreditur, virtutemq; incorruptam retinet, siquidem nonagesimus gradus perpendiculum, initium verò quadrantis parallellam horizontis possidet. 52. Quare, dum velociter currimus ex monte sistere subitò cursum non possumus? Impetus nos abripit, quem cursu illo concepimus. 53. Quare trochus non cadit? Impetus occurrit lateri, in quod casurus, & in contrarium abripit, priusquam cadat. 54. Quare, quando rem ex alto deciduam volumus excipere, manu obsecundamus labenti & manum cum illa aliquousq; demittimus, quo facto minùs sentitur illapsus? Quia non ita fortiter imprimitur in rem cessilem: ob quam etiam causam subinde latera munitionum, quæ actiùs tormentis ab hoste pulsantur, saccis re molli repletis, induci solent. 55. Quare, si alligaveris sagittæ in filo longiore plumulam, dum sagitta arcu emittitur, plumula sequitur non præit? Quia plumula minùs impulsum recipit quàm sagitta, idcircò à sagitta raptatur. 56. Quare tensior arcus vehementiùs impellit sagittam? Quo motus velocior, eò impetus auctior: in arcu verò tensiore chorda velociùs movetur, quocirca & impulsum fortiorem imprimit. 57. Quare pila faciliùs impellitur reticulo quàm ligno? Quia rete illud constans chordis tensis duplicem impulsum producit in pila: unum, quem impulsus causat, alterum, quem reductio chordarum similis illi, quæ in chorda arcûs reperitur. Idcircò in theatris, ut se altiùs vibrent choragi, insistunt reti ex chordis confecto. 58. Cur si rem nimis parvam projiciamus, in brachio dolorem sentiamus? Ex eadem causa, ex qua arcus intensus sine sagitta subitò dimissus chordam abrumpit. 59. Quare situla velociter agitata non effundit aquam? Eo casu aqua pendet in aëre sicut lapis, dum impulsus prævalet ejus gravitati, impulsus itaq; determinatus in circulum, sustentat aquam. 60. Quare molari lapidi si aliquid superposueris, abjicietur? Impulsus idem non eosdem effectus in subjectis operatur: velociùs jactat, quorum gravitas non ita multùm obluctatur: hinc quia tota gravior molaris, quàm lapillus ei superjectus, velociori motu fertur. Quod verò ad partem rejiciatur neq; sequatur cursum rotæ, ex eo est: quia arripitur ab aliqua scabritie rotæ extrorsùm respiciente: nam si esset polita superficies, circumferretur corpus superpositum.

De

Infinitum ita DEO convenit, ut qui illud creatis attribuit, omnia unum nihil faciat.

Implicat Infinitum actuale in quocunquè genere.

I. NOn enim datur *Infinitum multitudinis.* Quia daretur numerus finitus maximus. Nam detur infinitum Hominum, DEVS cuique Homini apponat o & soli unico 1. erit ibi numerus infinitus. Sed 1. facit cum aliquibus o numerum finitum, ergo antequam faciat infinitum, debet transire per maximum finitum. Rursus illi infiniti Homines incipiendo à primo habeant numeros in progressione naturali sibi adscriptos. Primus 1. secundus 2. tertius 3. &c. Ergo ultimus infinitum. Atqui ad hunc ab unitate non potuit esse transitus, nisi per maximum finitum. 2. *Implicat linea infinita.* Nam detur illa; ex medio ejus tollat DEVS aliquam, cujus partes à se infinito spatio distent, hæc certè erit infinita, & tamen intra aliam contenta; ergo habens terminos utrinq;. 3. *Implicat vivens infinitum* v. g. Homo, quia ejus dens quilibet infinitus, & tamen minor quàm totus homo idem de corde: vel si finitus dens partibus finitis homo ille constabit: ergo; neque talis Homo possit nutriri, quia egeret infinito tempore cibus, ut per guttur transiret. 4. *Implicat motus infinitè velox.* Nam rota infinitè velociter moveatur: ejus partes interiores adhuc citiùs. Qui autem cogitat ab æterno effluxisse infinitas horas imaginarias, facit ens rationis, quia jam fuisset finitum æternum. 5. *Implicant infinita numero corpora.* Sint enim globi, quales adhibentur ad tormenta bellica infiniti. Omnes hi globi vel ambientur, vel non: Si primum, claudetur infinitum. Si secundum, dabuntur qui non ambiantur & hoc ipso erunt ultimi. Rursus hi globi poterant creari majores. Ergo omnes majus spatium occupâssent. Ergo modo sunt terminati. Vel si minores creati fuissent, horum spatium non implevissent. Demum una medietas non occupat locum

cum alterius medietaris globorum: Ergo terminata. 6. *Implicat Numerus infinitus.* Sit enim unus infinitus numerus unitatum, alter dualitatum, vel erunt sibi æquales, vel non. Si æquales Ergo pars toti. Si inæquales, Ergo minor habebit terminos majori collatus. 7. Implicat spatium infinitum. Detur enim: in eo ponantur tres lapides, non in recta linea à se distantes infinitè: ducantur rectæ ab uno ad alterum. Ergo spatium infinitum erit conclusum triangulo & dabitur figura infinita. 8. Implicat clausum terminis. Sit enim linea infinitorum palmorum clausa: palmus à fine secundus non distat à fine infinitè, neq; tertius, neq; millesimus distat, nisi in numero procedendo ab 1. devenias ad infinitum, quod implicat. Rursus illa linea infinita clausa redigitur in circulum, faciet infinitum circulum in corpore infinito, ex eodem centro describatur alter circulus diametro unius sedis in eodem corpore: si moveri potest minor circulus finito tempore, poterit & infinitus moveri: quod est absurdum. Si non poterit nisi infinito tempore, circellus itaq; ille infinito egebit tempore, ut moveatur, quod iterum absurdum, pari autem uterq; tempore debebit moveri, cùm sint in eodem solido.

Hypotheses de Infinito.

HYp. 1. Si produceretur in infinitum linea, desineret esse linea: quia non haberet puncta terminantia. Nam ut Euclid. Elem. 1. defi. 3. *Lineæ termini sunt puncta* & 4. *Linea recta est, quæ ex æquo sua interjacet puncta,* velut Archimedes, *est minima earum, quæ terminos habent eosdem.* Quocirca non esset linea, sed in infinitate infinitas. Hyp. 2. Si daretur infinita linea, esset trina & una, patebit inferiùs. Hyp. 3. Angulus minimus seu infiinitus est recta linea, Quia cùm in infinitum accedit ad rectam per partes æquales, ut amplius non possit, debet coincidere cum recta, cum qua unum punctum commune habuit. Hyp. 4. Si daretur angulus maximus aut minimus in se omnes alios angulos includeret. Quia maximus omnes includit, atqui maximus est idem cum minimo ut patet. Hyp. 5. Angulus maximus seu infinitus coincidit cum recta linea. Quia infinitè ad eam accedit, ita ut magis non possit accedere: nec enim dici potest unam lineam penes aliam duci in hoc casu, quia essent paralellæ: nec angulus ligaretur eodem puncto. Hyp. 6. Angulus

gulus maximus & minimus si sunt infiniti, sunt æquales. Quia ut hyp. 4. & 5. ostensum, cum rectâ coincidunt. Hyp. 7. *Triangulus* infinitum habens unum angulum est linea recta quia quò unus major angulus, alij minores. Ergò cùm unus infinitè magnus, alij infinitè parvi. Ergò omnes recta linea. Hyp. 8. Triangulus infinitus est Circulus. Ostendetur, quòd Circulus infinitus æquatur lineæ infinitæ, ergo & linea infinita circulo; per axiom. 8. Eucl. Ergo singula latera trianguli infiniti erunt lineæ simul, & circuli. Sed recta linea infinita continet omnem lineam rectã seu ejusdem rationis: si non omnem continet,aliqua illi addi poterit: & sic major evadere, Ergo unum latus continet omnia latera, Ergo unum latus trianguli est triangulum & est simul recta, Ergo simul est circulus, Ergo est simul unum & tria, & ipsa unitas est *Trinitas*, & hoc est mysterio Sanctissimæ *Trinitatis* quidpiam simile. Hyp. 9. In triangulo infinito unus angulus non est major duobus, nec duo uno, nec tres uno, sed omnia unum patet ex præced: Hyp. 10. In triangulo infinito tres anguli non possent numerari unus duo tres, sed ut duo essent unus,ita unus tres, & tres unus, patet ex præced.

Hyp. 11. Triangulus infinitus est recta linea. Quia ut 1. Elem. 22. omnis trianguli duo latera omnifariam sumpta,reliquo sunt majora, Ergo saltem duo latera debent constare lineis infinitis: sed etiam tertium debet constare, Quia additum alteri efficeret unum infinitum altero majus: jam verò tria infinita ejusdem generis esse non possunt: ergo omnes tres lineæ sunt una, ac proinde triangulus ille non est compositus sed una simplicissima linea, & illa tres, & tres una. Hyp. 12. *Infinitus circulus* ipse sibi centrum erit. Ostenditur hyp. seq. in infinito circulo centrum esse rectam infinitam, & circumferentiam esse etiam rectam infinitam. Sed duæ infinitæ lineæ esse non possunt ut Hyp. 8. Ergo ipsa circumferentia est sibi centrum. Hyp. 13. In Circulo infinito centrum est æquale Circumferentiæ. Centrum est, ex quo ductæ rectæ ad circumferentiam sunt omnes æquales, sed non possunt duci ad circumferentiam infinitam, cùm sit illa recta linea, ut antè ostensum, nisi ex æquali linea, Ergo centrum in infinito circulo est æqualis rectæ peripheriæ, Hyp. 14. Circulus infinitus est recta linea. Quia quò major circulus, eò magis ad rectam accedit; Ergo infinitus infinitè accedit, sed quòd infinitè accedit ad rectam est recta linea. *Hyp.* 15. *In* infinito circulo diame-

lo diameter est æqualis peripheriæ. Quia in medio diametri est centrum, sed in circulo infinito centrum est æquale peripheriæ uti hyp. 13. ostensum, Ergo & diameter erit æqualis non major. Ergo unum infinitum non est majus altero. Hyp. 16. Infinitus circulus ubiq; centrum habebit: patet ex Hyp. 13. Hyp. 17. Si daretur corpus infinitum, non esset in loco Quia locus est superficies ambiens, infinitum verò ambiri non potest. Hyp. 18. Si daretur moles infinita, non esset nullibi, sed neq; esset in loco: Quia nullâ superficie ambiri posset, esset itaq; in seipso: eo modo DEVS ratione suæ infinitatis in seipso ante mundum conditum & extra mundum in sua essentia dicitur esse. Hyp. 19. Si daretur corpus infinitum, illud esset spiritus: nam spiritus est, cui connaturale est definitivè existere, id est, ut quælibet pars illius sit in toto spacio, & totus in toto spacio, sed corpori infinito juxta hyp. 51. id esset connaturale. itaq; esset spiritus, & sic DEVS, cùm sit infinitus, necessariò est spiritus. Hyp. 20. Si daretur conus infinitus, esset illa plana Superficies: quia ex omni parte Superficies coni accederet ad uperficiem planam infinitè, nam quò major conus, id est obtusiorem angulum includens, eò magis ad planum accedit.

Hyp. 21. Si daretur accidens infinitum in extensione, non posset nisi infinito subjecto uniri. Quia nihil ejus extra subjectum subsisteret. Si autem in intensione: requireret subjectum infinitum, quia ex eo educeretur, infinitum verò actu, non continetur in potentia & virtute finiti, licet syncategorematicum contineatur, sicut vir potest ferre millionem librarum successivè sed non simul, & quia finitum infinito nonnisi infinitè uniretur: Ergo per hyp. 36. identificaretur. Hyp: 22. Si daretur infinitum bonum, esset ipsa bonitas. Quia quo magis est bonum, ad bonitatem magis accedit, Ergo si infinitè, bonum erit idem, quod bonitas. Hyp. 23. Si daretur infinitum in quocunq; genere, non tamen in genere quantitatis, esset illud optimum. Quia ut S. Aug. lib. 6. de Trinit. c. 8. *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse.* Ergo hoc est infinitum esse, quod infinitè bonum esse. Hyp: 24. Motus infinitè velox esset quies: quies enim ex doctrinâ S. Th. 1. p. q. 51. est esse hic, ut etiam immediatè antè fueris hîc: quod verò infinitâ velocitate moveretur esset hîc nunc ut etiam immediatè antè hic fuerit: est enim hîc ita citò, ut citius non potuerit esse: sed si immediatè antè

antè hic non fuiſſet, potuiſſet citiùs & citiùs in infinitum hic fuiſſe. Hyp. 25. Si daretur motus infinitè tardus, eſſet & ipſe quies, quia quovis, qui non eſt quies, poteſt dari tardior. Sed ſolo illo non poſſet dari, quia infinitè ad quietem accederet. Hyp. 26 Si quies eſſet infinita in duratione, eſſet æternitas quæ eſt quies infinita carens omni motu. Hinc DEVS ob æternitatem ſibi identificatam infinitè quietus, & ob infinitam quietem æternus. Hyp, 27. Si daretur quis durans infinitate ſeu æternitate, non poſſet loqui niſi unum verbum, idq; indiviſibile. Quia verba ſibi ſuccedunt, in æternitate nulla eſt ſucceſſio, idcircò verbum illud eſſet permanens. Quia omnis ſucceſſio temporalis in unum *nunc* æternitatis coincidit. Hyp. 28. Si daretur quiſquam infinitè durans, apud eum omne præteritum & futurum eſſet præſens: patet ex præced. nam ibi eſt idem finis & principium, quia omnia unum *nunc*. Hyp. 29. Si quis ab infinito tempore duraviſſet, apud illum mille anni fuiſſent, ſicut dies heſterna, quæ præterijt: in infinita enim duratione dies eſt annus, & ſæculum & mille ſæcula, quia totidem ſunt ſingula horum in infinito: ſicuti in denario, ſi eſſent totidem biniones, terniones, quot unitates, ipſi biniones & terniones eſſent unitates, Hyp. 30. Si daretur in cauſis proceſſus in infinitum, nulla cauſa ageret: probat Ariſt. 8. Phyſ. tt.34. & ex eo S. Thomas 1. p. q. 1. a. 4. Quia primus motor non daretur: Nam in infinito nihil primum, aliàs haberet terminum, ſed primo motore ſublato ceſſant omnes motus.

Hyp. 31. Si daretur proceſſus in finibus in infinitum, ita ut nullus daretur ultimus finis, omnis appetitus ceſſaret. Probat S. Th. l. prox. cit. Bonum, quod appetitur, ſe habet inſtar motoris: ſed ubi motor primus ſeu ultimus deeſt, ut hyp. antec: oſtenſum, ceſſant motus ſecundi: itaq; nullum bonum moveret, ac proinde nec appeteretur. Hyp. 32. Si daretur infinitum, non eſſet parvum aut magnum. Quia horum comparatio ſumitur cum alio: infinitum comparari cum alio ſeu coæquari non poteſt: neq; eſſet majus aliquo aut minus neq; tamen æquale. Hyp. 33. Si daretur infinitum, non eſſet inæquale omnibus, & unicuiq; & nulli, quia eſt majus aut minus aliquo, aut omnibus: æquale autem autem omnibus, quia omniũ perfectionem continet, & unicuiq; ſingulorum, & nulli, quia eſt ſupra omne finitum, & ſic DEVS & eſt in omnibus & ſupra omnia. Hyp. 34. Si finitum uniretur infinitè infinito, eſſet idem cum illo: quia uniri infinitè

eſt

eſt identificari, quâcunq; enim alia unione datur major: idcirco attributa infiniti ſi ſint, etſi finita eſſent, cùm illi infinitè uniantur, erunt idem cum eo. Hyp. 35. Si daretur infinitum, illud eſſet indeſtruibile, quia potentia deſtructiva ſemper debet eſſe fortior, nihil verò infinito fortius: ob hoc neq; ab alio conſervari poſſet infinitum. Hyp. 36. Si daretur infinitum intra finita nihil eſſet, quo non aliud poſſet magis accedere ad infinitum. Quia in infinito ſunt partes infinities infinitæ: ex linea enim infinita, poſſum, quoties volo, lineas auferre, quarum extrema infinitè diſtent, imò poſſum infinities. Ergo quotieſcunq; res finita ad infinitam acceſſerit, nunquam illam adæquabit: & per hoc patet, quòd creatura perfectiſſima eſſe non poſſit, quia nunquam totam imitabilitatem *DEI*, quæ eſt infinita, exhauriet. Hyp. 37. Si daretur infinitum, eſſet unum. Quia impleret omnia, & eſſet ubiq; & dato altero infinito, eſſet illi æquale vel inæquale, Ergo clauſum terminis, minus vel majus altero. Hyp. 38. Si daretur infinitum, eſſet intellectu incomprehenſibile: Quia intellectus finitus ad infinitum non habet proportionem, & dependenter à phantaſmae operatur, ſub phantaſma autem non cadit infinitum, cùm imaginationem excedat, multò minus ſub ſenſum, quo phantaſma dependet. Hyp. 39. Si daretur infinitas, nihil eſſet extra eam ejuſdem generis: nam ſi eſſet, poſſet addi, & infinitas major fieri. Ergo ſi eſſet infinitas in omni genere perfectionum omnis perfectio eſſet in illa: & nulla extra illam niſi per participationem ab illa: & ſublatâ illâ omnia neceſſariò perirent. Hyp. 40. Si daretur infinitum, ſic eſſet omnia, ut nihil eſſet omnium. Eſſet omnia ut hyp. 35. oſtenſum, nihil omnium, quia eminenter omnia ex præced.

Hyp. 41. Si daretur infinitum, non eſſet creatum. Quia omnis actio terminatur ad aliquid terminatum: ut S. Th. 1. p. q. 7. a. 4. in c. idcirco eſſet Ens à ſe. Hyp. 42. Si daretur infinitum, illud omnia contineret in ſe. Nam illi identificaretur poſſe: Sicut ſi materiæ potentia formas habendi infinitas identificaretur cum actu, haberet actu omnes: in infinito verò idem eſt potentia, quod actus, imò non eſt ulla potentia, ſed actus, idcirco omnia in ſe continet, itaq; quidquid poteſt eſſe *DEVS*, jam eſt, & quidquid poſſumus illi excogitare perfectionum, jam habet: Ergò omnia poſſe eſt DEVS; Ergo eſt ſua omnipotentia, ſua Bonitas, ſua Sanctitas &c. Hyp. 43. Si daretur unum infinitum

innume-

innumera in se contineret infinita: dividatur enim in partes millies millenas, quælibet debebit esse infinita, siquidem hic est finitus numerus, infinitum verò constare non potest partibus finitis: & idem redit, quemcunq; numerum partium assumpsero: igitur tot jam partibus infinitis constabit; possum verò in numero augendo progredi in infinitum, quocirca in infinitum partibus infinitis constabit. Hyp. 44. Si daretur infinitum, esset indivisibile; si enim dividi posset, dividatur trifariam, pars quævis erit infinita, & una duabus collata erit minor, ac per hoc clausa terminis: vel, tollantur ex linea infinita è medio centum palmi &c. linea contrahatur: Ergo spatium post se relinquet: Ergo erit clausa terminis. Hyp. 45. Si daretur homo infinitus, totus esset cor, totus oculus, totus pes &c. totum totus. Quia oculus esset infinitus & quælibet pars oculi determinata, infinita: itaq; immensum spacium impleret, Ergo esset ubiq;: idem de manu, de corde, pede, & quia naturaliter se penetrare non posset pars cum parte, & tamen esset ibidem, deberet esse identificata: & hinc patet, quòd DEVS ratione suæ infinitatis debet esse & ubiq; & omnia. Et hoc ipsum extenditur ad Vivens, siquidem omne vivens necessariò habet partes heterogeneas, de quibus idem discursus institui potest. Hyp. 46. Si daretur infinitum Vivens, definitivè existeret in loco. Definitivè enim existere dicitur aliquid in loco, quando totum est in toto loco & totum in qualibet parte loci. Sed tale vivens ex hyp. præcedenti ita esset. Hyp. 47. Si daretur Vivens infinitum, naturaliter esset invisibile. Quia quod definitivè existit, naturaliter videri non potest, sed tale corpus juxta hyp. præc. definitivè existeret.

De Natura Continui.

Quam stultum est, Divinitatis mysteria velle nostro intellectu metiri, cum in explicatione unius paleæ deficiamus.

Non constat indivisibilibus Continuum.

I. Subscripsit veritati huic S. Aug. 11. Trin. c. 10. *Ratio docet minutissima etiam corpuscula infinitè dividi.* & lib.

lib. 2. c. 48. Dialog. ait, se tam esse certum de hac veritate, ut non aliter in altera vita esset sensurus. 2. *Subscribunt Geometræ* 1. Quia recta bifariam dividi non posset contra 10. Elem. Euclid. lib. 1. Nam si sit quinque punctorum alterâ parte tria, alterâ duo habitura. Ajunt medium punctum divisione absumi. Sed hoc modo linea parium punctorum in æqualia non secabitur. 2. Daretur Diameter costæ commensurabilis per punctum contra 10. Elem. prop. ultim. 3. In circulo solùm sex radii esse possent: nam semidiameter est æqualis sextæ parti circuli, radij verò semper uno puncto crassiores, dum ad peripheriam tendunt. 3. *Subscribunt Optici*. Quia non semper solem videre possemus: nam ex horizonte ad Eclipticæ arcum si ex quolibet puncto perpendicularis erigi potest, totidem erunt in utroq; puncta. Ergo æqualia sibi spatia. Si non ad quodlibet punctum arcûs: dum in illo sol existet, non videbitur, quia radij visorij per rectas procedunt. Et ob similem rationem neq; oculus majus se ipso objectum videbit. 4. *Gnomonici subscribunt*. Quia dum sol in cœlo ingentia spatia decurrit, umbra styli in sciotherico morari debet, alioqui in instanti omnes horas percurret, itaq; fallet. 5. *Hydraulici etiam*. Quia nullus fluvius navigari posset, cùm quot punctis sit longus totidem descendat, nam ut fluat debet esse declivis, ac proinde perpendiculariter ad centrum fluet, & Nilus, qui sextam partem circuli terrestris absolvit in ipsum infernum influet. Eodem modo ostenditur homo in lecto decumbens non ad paralellam horizonti, quòd stet. 6. *Imò & Architecti horrent puncta*. Nam ædificia ruere necesse erit pleraq; , siquidem nullum stare potest nisi perdendiculariter versus centrum: atqui ex paucis admodum punctis superficiei terrestris perpendiculariter ad centrum duci possent, nisi essent concedenda totidem puncta in minimo quot in maximo circulo, ac proinde illi circuli æquales. 7. *Sed supra hos Physici*. Datis punctis non potest dici rota quomodo circumagatur: quomodo rarefactio, condensatio fiat. Deinde impulsum globi è tormento murali ejecti interrumpi, & globum quiescentem in aëre non delabi, cùm longè tardiori motu feratur, quàm Sol, Motus autem tardior, sine morulis apud Punctualistas esse nequit. Habet & alia multa fulmina Physica, quibus jam olim Peripatus pertonuit. *Deniq; natura subscribit* quæ vetat misceri quadrata rotundis: apud Zenonem verò circulus est quadratum & è contra: nam circulus est è cujus centro ductæ sunt æquales: at

verò

verò è medio quadrati cùm totidem puncta transeant in omnem partem, sunt æquales.

Imò nulla dantur Indivisibilia in continuo.

I. NOn scilicet, punctum, superficies, aut linea: Logicæ enim sunt hæ denominationes ac negationem ulterioris extensionis significant, ut Arist. 3. de Anima. tt. 25. docuit, *punctum*, inquiens, *cognosci ut privationem*, & inde S. Aug. lib. de quant. Animæ cap. 6. Animam nostram demonstrat esse Spiritualem, quia potest lineam à superficie per intellectum præscindere, quod sensus facere non potest. 2. Non Euclides docet quod globus tangat planum in puncto, sed Aristoteles, lib. 1. de Anima. cap. 1. & Theodosius in sphæricis, quod non est pro Zenonistis, qui globum perfectum ex punctis conficere non possunt, ut non infimus illorum Plutarchus lib. Κοινων εννόιων profitetur. Nam punctum illud esset extra Sphæram, cùm illam augeret. Hinc 6. Phys. cap. 10. indivisibile non posse, locum mutare per se, ostenditur, sed per accidens, ut cæcitatem, cùm cæcus mutat locum.

Neq; actu sunt partes in continuo.

I. PLacet hoc ipsum Verbis Magistri exprimere. 6. Phis: cap. 9. post medium. *In continuo autem insunt quidem infinita dimidia, sed non actu, sed potentiâ:* & 9. Metaph: c. 6. *Dicimus autem potestate existere, ut in ligno Mercurium & in toto dimidium.* Placet & Angelici Doctoris in 4. dist. 10. a. 3. q. 3. ad 1. *Partes alicujus homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentiâ tantùm.* Et 1. p. q. 53. a. 2. in c. *Cùm magnitudo sit divisibilis in infinitum, & puncta sint etiam infinita in potentia, in qualibet magnitudine: sequitur, quod inter qualibet duo loca sint infinita loca media &c. sicut loca sunt infinita in potentia, ita & in motu continuo est accipere quædam in potentia.*

2. Si enim darentur actu essent infinitæ, nam si finitæ indivisibiles: si verò infinitæ, cuiq; adscribi potest Vnitas aut saltem distinctionibus affingi dabitur actu Numerus infinitus. Vnde meritò 5. Metaph. c. 11. dicitur. *Quæcunq; non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus sunt unum.* 3. Sola penes. positio continui homogenei partes unit, juxta 8. Metaph. cap. 6

ubi dicit. *In corporibus quibusdam tactus causa est, ut unum fiant.*

Paradoxa.

POtest quis currendo in eodem loco manere. Nullus Philosophus in suâ veste conspexit foramen. Quo plùs ex auro factibili aliquis acquirit pauperior est. Homo infinitus nec cor in pectore, nec cerebrum in capite haberet. In vacuo perspiciliis non est opus, utcunq. debiles habenti oculos. Potest Paulus ad Petrum per partes veniendo venire integer. Possunt collocari omnes Homines in eodem loco, & quidem indivisibili. Potest aliquis multum loquendo nihil veri aut falsi dicere. In replicato exercitu nemo esset Dux aut Tribunus. Dantur culices tanti ut unius alæ totam possint operire terram,

Parerga.

POtest scutella plus aquæ capere, quàm possit capere. Potest effici, ut lapis crescat intra aliquot horas. Ceram, quam quis combussit in cereo, potest per artem colligere. Pulvis pyrius eò robustior, quò plus materiæ ignem fugientis habet. Potest parari arte ignis deorsum vergens & fortior erit tendente sursum. Potest audiri submississimè loquens etiam ad passus 300. Potest unus ignis per alium appositum extingui. Potest aliquis naturaliter super aquas ambulare. Possunt exhiberi pocula, horti, maria, sylvæ, urbes &c. in unâ tabellâ planâ nullis coloribus infecta. Potest aliquis cribro aquam haurire, & aliò transfundere.

Ex Mathesi

Propositiones Staticæ.

Aërem ponderare.

FVmum expendere facile, & veteribus cognitum. Expendas lignum, exuras, tum appendas cineres, cætera fumus erunt. Aër verò sic ponderatur: accipiatur lagena vacua, plena aëre, habeat epistomium, quod claudi & aperiri possit. Illam imple aquâ per siphonem, ita, ut nullo modo immittat aqua aërem, duas partes lagenæ poterit implere, in tertiâ se con-

densabit

densabit aër: ponderetur jam lagena, deinde aperto epistomio aër emittatur, qui cum impetu procurret, quousquè suam naturalem raritatem recuperet. Ponderetur rursus lagena, erit levior quàm antea: differentia ponderum lagenæ dat gravitatem aëris. Et hoc modo Galilæus invenit quod aër minus ponderet, quàm aqua molis æqualis circiter parte 400.

Quomodo Archimedes terram movisset?

Explicare id conatus optimè de re literariâ meritus P. Osvaldus Krüger inter illustriora theoremata assumpto hoc principio. Pondera inæqualia inæqualibus libræ brachiis suspensa, situ fiunt æquipondia, quando ea est proportio majoris gravitatis ad minorem, quæ est distantiarum permutatio. *Sit* enim vectis in 13. v. g. partes divisus: hunc hypomochlium sustentet in primâ divisione, in secunda ponatur libra plumbi, in tertiâ divisione æquiponderabit libris 12 positis in alterâ extremitate. *Sed* requirit vectem stadiorum 3000 000 000 000 000 000 0001. quis hunc exhibebit Archimedi, qui nihil aliud protestabatur sibi deesse ad movendam terram, nisi locum in quo consisteret? Quocirca solum hoc argumento evincitur terram moveri posse, non verò modus explicatur. Magis Steuinus modum attingit per Charistium pancraticum. *Sed* continuo motu ad unius pedis altitudinem totum terræ pondus (quod constituit librarum 24000000000000000000000000) etiamsi charistii manubrium singulis horis quatet millies circumageret, inter decem continuos annos elevaret terram ad partem 1052dam, unius pedis si pes totus divideretur in partes 24000 000 000 000 000 000: qui motus credo sensu nullatenus perciperetur. Nam quantum de potentia additur in machinis, tantum velocitati motûs detrahitur. Sed quid, si circa centrum movere voluit Archimedes, certè minori multò conatu & tempore?

Omnia metalla, imò omnia corpora aquâ graviora in aliquo medio esse æquiponderantia, per libram ostendere.

SUmantur quæcunque metalla aut corpora in eadem magnitudine v. g. globus terreus & globus aureus, vel globus stanneus & globus plumbeus, vel globus marmoreus & globus cupreus, in eadem magnitudine, ita ut diametri utriusqué sint æquales, & funiculo appensus demittatur unus globus in lancem unam aquâ plenam, alter in alteram priori æquilibrem, ita ut toti globi aquæ sint immersi fundum tamen lancium non tangant, dico omnes globos inter se esse æquiponderantes, nequé uuum ab altero pondere superari, tametsi ex natura sua gravitate sint inæquales. Ratio est, quia juxta *prop.* 1. *lib.* 1. *Archimedis, de ijs, quæ vehuntur in aquâ.* Solidæ magnitudines humido graviores demissæ in humidum ferentur deorsum, donec descendant: & erunt in humido tantò leviores, quanta est gravitas humidi molem habentis solidæ magnitudini æqualem. Cùm ergò hîc omnia corpora mole sunt æqualia, erunt etiam omnes æquales eidem tertio, scilicet aquæ, cujus locum occupant, ac consequenter pondere erunt æqualia, quia omnia habebunt illud pondus, quod habet illa aqua, cujus locum occupant. Sed si globi illi fundum lancium attigerint non amplius æquiponderantes futuros, si ex metallo fuerint diverso nequé habituros pondus, quod habent extra aquam, sed tantò minus ponderaturos, quanta est gravitas aquæ molem habentis æqualem. Patet ex prop. 7. lib. 2. Archimedis, quæ sit verò metallorum gravitas in aquis observavit Vilalpandus parte 2. app. post. coog. marmoris decem libræ ponderant libras 8. libræ 3. mellis duas libras. Ferri, stanni, aut æris lb. novem libras 8, auri unc. 18. uncias 17. libra argenti vel stanni vix uncias 11.

CONCLVSIONES.

Ex libris Politicorum Aristotelis verbis Taciti expressæ.

Numeri citantur juxta Typum Elsevirii Anno 1634.

De Formis Civitatum.

ANnal. 4. *fol.* 166. Cunctas nationes & urbes, populus aut primores, aut singuli regunt, delecta ex his aut constituta Reipublicæ forma laudari facilius, quàm evenire potest.

De Prin-

35

De Principe.

1. *Annal.* 78. Majestas Principem defendit. 15. *Annal: fol.* 372. magnum in utrâq; fortuna robur. 4. *Annal.* 166. Id verò egregium, si quanta nobilitas & fortuna, tanta illi rerum prosperarum sit moderatio. 1. *Annal.* 48. Brevibus enim momentis summa quoq; vertuntur. *in Agric.* 714. Nec princeps omnium negotiorum Iudex sit vel clausis intra unam domum accusatoribus & reis paucorum potentia grassetur. *Agric.* 733. Sciat quod motus & terror infirma vincula caritatis sunt, quæ ubi removeris, qui timere desierunt, odisse incipient. 3. *Annal.* 144. Lentus in suo dolore sit, Reipub. injurias ne largiatur.

De Legibus.

5. *Annal.* 381. Leges egregiæ exempla honesta, ex delictis aliorum nata. 3. *Annal.* 141 retinenda sapienter reperta, & semper placita. 3. *Annal.* 118. Sed corruptissima Repub. plurimæ leges. 3. *Annal.* 116. quibus sæpe non minus, quàm flagitiis laboratur.

De Amicis Principis.

4. *Histor.* 611. Nullum majus boni imperii instrumentum, quàm boni Amici. 1. *Hist.* 443. cæteri liberiùs cum fortuna principis loquuntur, quàm cum ipso. 1. *Annal.* 37. Deligendi sunt autem ut amici, ita inimici ex utilitate Reipublicæ. 3. *Hist.* 604. Quos si putat magnitudine munerum, non morum constantiâ continere, meretur magis, quàm habet.

De Consiliis.

11. *Annal.* 251. Potentia cautis, quàm acrioribus consiliis tutiùs habetur. 4 *Annal.* 171. Cæteris mortalibus in eo stant consilia, quid sibi conducere arbitrentur, principum diversa sors est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. 6. *Annal.* 131. & cùm rectè factorum sibi quisq; gratiam, unius invidiâ ab omnibus peccatur.

De Consiliariis.

1. *Hist.* 443. Svadere Principi quid oporteat, multi laboris est, assentatio sine affectu peragitur. 2. *Hist.* 534. Omnis qui magna-

rum

rum rerum consilia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosum, promptum effectu aut certè non arduum sit.

De Aulicis.

14. *Annal.* 367. Graviorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur. 4. *Annal.* 160. Id verò aulici parent, ut inter abruptam contumaciam ac deforme obsequium pergere possint iter ambitione ac periculis vacuum. *Agric.* 741. Sciant autem obsequium ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eò laudis excedere, quò pleriq; per abrupta, sed in nullum reipub. usum ambitiosâ morte inclaruerunt.

De Magistratibus.

1. *Hist.* 473. Non eligantur accensis longâ egestate cupiditatibus. *Agric.* 717. & potius non peccaturi, quam damnãdi. 1. *Annal* 80. æmulatio inter pares plerumq; & ex eo impedimentum.

De Bello.

3. *Annal.* 127. Misera pax vel bello bene mutatur. 4. *Hist.* 659. Neq; verò quies gentium sine armis neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine tributis haberi queunt. 1. *Hist.* 437. Milites legi, non emi debent. *Agric.* 726. Optimum quemq; fidelissimum putes. 3. *Hist.* 555. Externi milites sæpè majore ex diverso mercede illecti jus fasq; exuunt. 2. *Hist.* 514. ne miles jussa Ducum interpretari malit, quàm exequi. 7, *hist.* 493. Dux sit acer militia, anteire agmen, locum castris capere, noctu diuq; consilio, ac, si res poscat, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituq;, vox à gregario milite discrepans.

De Populo.

4. *Hist.* 611. Subditis convenit ulteriora non mirari, præsentia sequi, bonos Imperatores voto expetere, qualescunq; tolerare. 4. *Hist.* 659. Nam quomodo sterilitas, aut nimii imbres & cætera naturæ mala, ita luxus & avaritia dominantium sustinenda.

S. Hieron. epist. ad Pammach. 50.

Aut profer meliores, & me convivâ utere, aut qualicunq; nostrâ cœnulâ contentus esto.

B U G